

m B

Theol. Cathol. 304

324

Q.4

Theol. Coll. 1786. 6


Reverendis Patris,
PETRI LOTICHII,
ABBATIS SOLITARI-
ENSIS:
OPUSCULA:

In quibus

- I. *Vita Ejusdem :*
- II. *Historiola Cœnobii Solitariensis : &
Reformationis Ecclesiarum :*
- III. *Confessio Fidei, ad Philippum, Abba-
tem, & Principem Fuldensem :*
- IV. *Epistolarum superstitum libellus :*
Nunquam antehâc edita.

Studio

*Jo. Petri Lotichii, D. Medici,
Acad. Marpurg. Profess. P.*



MARPURGI CATTORVM,
Typis CASPARIS CHEMLINI.

M. D C. X L.

LETTRE FORTICELLE

APPARTEMENT

PREMIER

OPUSCULE

de

I. de la

II. de la

III. de la

IV. de la

V. de la

VI. de la

VII. de la

VIII. de la

IX. de la

X. de la

Sächsische
Landesbibliothek
Dresden



ALMÆ , & Celeberrimæ , UNI-
VERSITATIS , quæ MARPURGI
HESSORUM est ,

Magnifico **RECTORI :**

Amplissimo **PROCAN-
CELLARIO :**

Cæterisque

*Reverendis admodum , Consultissimis , Ex-
perientissimis , Clariss. & Excel-
lentissimis ,*

SS. THEOLOGIÆ :

JURISPRUDENTIÆ :

MEDICINÆ :

ARTIUM ET PHILOSOPHIÆ :

DOCTORIBVS ET PROFESSORIBVS :

omnibus & singulis :

**Collegis , atque Amicis , honoran-
dissimis :**

S. P. D.

A 2

Anni

Dedicatio.

ANNI sunt complures,
Patres conscripti Academici!
ex quo, etiam absens,
præsentem hancce tabellam, sive
inscriptionem, vobis destinavi, vo-
bis debui. Destinavi, inquam! Quis
enim fortunam suam adeò in nu-
merato, & ridentem, habeat, ut
non proposito sæpenumerò exci-
dat, ut non vota faciens sæpissimè
frustretur, hoc præsertim, meliori-
bus literis injurio, & iniquo, secu-
lo, quo omnia penè, hei! dolor, fa-
talem incertitudinem, atque abo-
minationem, præ se ferre videntur?
Utque obiter aspergam, vel hac
temporis metuendâ barbarie, inter
cætera, ità frigere coepisse *rem typo-*
graphicam, à majoribus nostris sum-
mo olim cum applausu cognitam,
atq; acceptam, ut ab istius operis,
cura-

Dedicatio.

curatoribus, nescio quæ non *vaigis*,
ut *Plautus* ait, *labiis*, id est, subdole,
promittentibus, ductus, & elusus,
sim haftenus vice minimè simplici.
Sive igitur id genus hominum ille
sit morbus, & avaritia, sive magis
res accisa, & nervi illius rerum ge-
rendarum, *Pecunia*, inquam, *Tropicus*,
accusanda veniant, equidem vix
video, quo pacto nobis honor lite-
rarum, præsertim in *Academiis*, sar-
tus tectus deinceps constare possit,
si ve ejus gentis tarditate, vel pau-
citate, digna professionibus nostris
commentari, atq; in literas referre,
in primis cum eruditioris notæ ho-
minibus, more veterum, communi-
care, prohibebimur. *Itali* trans *Alpes*
jam dudum ARTES evolâsse ad nos,
occlamârunt. Et nos (vereor!)
mox trans *Oceanum* & *Balthen*, literas

Dedicatio.

venustiores enavigâsse, quiritabi-
mus. Quid rei est? Tædium, in-
quam, literarum ferè apud nostra-
tes furtim irrepsit: *Academia*, mili-
tum gregariorum insolentiâ, & fu-
riis, diripiuntur: officinæ literariæ
vilescunt & clauduntur: immò eti-
am studiorum met præmia defice-
re coepere: quibus cadentibus, vel
Taciti illius gentili vaticinio, etiam
studia ipsa, ut minùs decora, tan-
dem peritura sunt. Quis igitur fru-
strà cupiet deinceps aut esse labori-
osus, aut industrius? Quis non o-
biter, ac perfunctoriè, honestas tra-
ctabit disciplinas? cùm & literas
venustiores bonâ fide colenti, &
oscitanter, ac languidè, artes respi-
cienti, idem præstitutum esset præ-
mium, eadem gloriola ingleria?
Jactet hodieque *Dania* non immeri-
tò *Me.*

Dedicatio.

tò *Meursios* suos! *Belgium* age extollat
jam *Heinsios*! aliæ gentes alios prædi-
cent literatores, & megistanes!
quibus autoribus etiam chartas,
adhuc dùm ab incude, & manibus,
fortè calentes, avari felicioribus il-
lis in locis *Typographi* clàm palàm
subtrahunt, atq; compendifaciunt:
ut nostratibus iccircò palmam, atq;
adoreas, præripere, incredibili o-
mnium consensu, illi evincantur.
Quod si nostri *Typographi*, cæteris, ut
ajunt, paribus, simile tam vellent,
quàm possent, per *Musas*! *Germani-*
am, patriam nostram, nilitiâ ab an-
tiquo claram, nuper etiam literis
florentem, non eò usq; effoetam ef-
se, probari quitum sit, ut etiam
nunc, hac in togata nostra armatu-
ra, *Quirites* quoq; sive *Tuisiones* suos,
literis alioquin, ætatem ferre susti-

Dedicatio.

nentibus, plenos, ostendere, atq; in
elegantias, quæ cum antiquitate
conferri possint, irritare sufficiat,
Mihi verò (præfiscini quod elo-
quar!) stat sententia, aut omninò
velle tacere, aut deinceps rem fortè
typographicam tractare: non ut a-
liorum labores venari, ac lucriface-
re, velim, sed ut *Majorum* in primis
meorum pias reliquias, partim nun-
quàm antehâc editas, partim cum
eleganti augmento evulgandas, e-
niti, ac proferre, tum me quoque,
& complures viros cordatos, & bo-
nos, aliquâ inde voluptate perfun-
dere, immò propriarum etiam lu-
cubrationum mearum proventu,
ac messe, memet excitare, ac com-
masculare veut, evaleam. Quo
nomine, jam tandem hæreditati il-
li literariæ, & avitæ, manum ad-
moveo:

Dedicatio.

moveo : Et (ô pudor!) nisi ipse
hanc impensam faxim, periret op-
pidò hic *Ecclesia Christiana*, immò *Re-*
formationis Evangelica, ante seculum
factæ, thesauriolus, hæc historia. O
viverent, vel alii nobis, iniquis isthis
temporib., exurgerent, *Oporini*, *Fro-*
benii, *Iunta*, *Stephani*, *Manutii*, *VVechelii*,
aliiq; elegantioris notæ optimi, ac
clarissimi, TYPOGRAPHI! næ rem li-
terariam propedièm reflorescen-
tem, atq; triumphantem etiam for-
tè, videremus! Sed desino quere-
larum!

Cæterùm, debuisse me juxtà
vobis hanc hujus libelli inscriptio-
nem, ab initio professus eram, *Pa-*
tres Academici! Quis enim dubitabit,
vos rogo, res, pietate, & armis lite-
rariis, hac in ACAD. MARPURGEN-
SI, jam ante hos CENTUM ANNOS,
piè,

Dedicatio.

piè, feliciter, laudabiliterq; gestas,
non inprimis hanc eandem ad A-
CADEMIAM pertinere, & referri, de-
buisse? Inrerrogate, quæso, pieta-
tem, atque eruditionem, vestram!
Musas meas iratas habeam! si non
pleraque, in quibus pientissimus
ille ABBAS SOLITARIENSIS, propa-
truus meus, ad illustrandam S. E-
VANGELII, tum renascentis, propa-
gationem, tam in semet ipso, quam
in ALUMNIS, liberalibus impensis
hic emissis, & ECCLESIIIS, suis, in
coelesti doctrina, optimarumque,
artium disciplinis, profecisset, ju-
xta celeberr. pariter illam ACAD.
LEUCOREAM, WITTEBERGENSEM
inquam, MARPURGENSI huic AT-
HENÆO, accepta ferre tam lubens
voluit, quam ultrò profiteri, non
dubitavit. Autor enim est, inter
cate-

Dedicatio.

cæteros, *Io. Hagius, Francus, & utriusque*
olim, illum tantum non è *Franconia*
MARPURGUM, tanquam ad aliquem
coelestis doctrinæ, ac bonarum ar-
tium, mercatum, *Alumnos suos, ad*
Scholarum, Ecclesiarumque gubernacula
postmodum promovendos, misisse,
sed ipsum venisse, ipsum cum erudi-
tissimis illius ætatis *Theologis* hoc lo-
ci ita familiariter, ita amicè, & sua-
viter, versatum esse, ut nullus in su-
per, tametsi *Abbas & Presul*, dubita-
rit etiam *Collegia* docentium, di-
scentiumque; egregio illo suo exem-
plo, frequentare, etiam semet i-
psum, cum universo studiosi coetus
applausu, & honorifica assurrecti-
one, docendum sistere. Sic ubi igi-
tur pietatem illius viri egregiam, ac
merita in *Ecclesiam Christi, atque Rempub.*
literariam, quæ is præstitisset, amplif-
sima.

Dedicatio.

simam, intuemini, *Patres Academici!* certè, opinor, non potestis de tanto viro, tanto, inquam, illustris hujus ACADEMIÆ, antè hos CENTUM ANNOS, dùm ferè senex esset, DISCIPULO, non gaudere, non honorificè sentire, non benignè, veterum more, prædicare. Publicis id olim literarum monumentis Clarissimi illi viri, *Ioan. Draconites, Andr. Hyperius, Theob. Thamerus, Theologi, Ioan. Hildebrandus Io. Hagius, Casparus Rodolphi, Nicol. Asclepius, aliq;* Jcti, Medici & Philosophi pleriq; ACADEMIÆ hujus *professores*, antecessores nostri, jam pridem contestati sunt, quantam videl. ex usu & intuitu, amicitia ac contubernii, in primis veræ, & solidæ, pietatis, atque promovendi doctrinam coelestem *Evangelicam* studii singularis, atque ardentis, in optimo vi-

mo vi-

Dedicatio.

mo viro, ABBATE illo, voluptatem
percepissent, ut etiam *Album*, ut vo-
cant, seu *Matriculam studiosorum Mar-
purgensium*, cui is præsul laudatiss. no-
men suum dare ne dedignatus
quidem est, pietatis, studii, & humi-
litis ejusdem præconem evasisse,
evidens, ac clarum sit. Quæ cum
sint vobis omnibus in propatulo,
atque antè oculos: quid de eo ma-
ximè superaddam, quòd in super,
ante hos *LXXX. Annos*, patruus iti-
dem magnus meus, *P. Lotichius Se-
cundus, Medicus clariss. Poëta* verò totius
Germania, judicio *Ioach. Camerarii, Jac.
Aug. Thuani*, & aliorum, supremi sub-
sellii Philosophorum, facile primus,
& princeps, postquam à teneris annis,
præeunte Patruo Abbate, in hac pa-
titer *MARPURGENSI*, artium & li-
terarum, tyrocinia antè deposuif-
set, ex

Dedicatio.

set, ex *Acad. Heydelbergensi*,
(ubi docebat) hanc in *MAR-*
PURGENSEM nostram, ita vo-
lente *Illustrissimo Hessorum*
Principe, & desiderante u-
niverso *Senatu Academico*,
ad suscipiendam *professionem*
Medicam, ab obitu *Clariss.*
Medici, Ioan Dryandri, hîc
tùm vacantem, literis, aman-
tissimè scriptis, evocatus fue-
rit? Ejusce vicem, & locum,
siquidem ego nunc, *DEI* pro-
videntiâ, post tantum inter-
vallum, hac eadem in *ACA-*
DEMI nostra, impleam, & à
seculo humanioribus literis
cognitum, *Lotichianum no-*
men,

Dedicatio.

men, vobis referam, favete,
quæso, *Patres Academici!*
huic instituto, huic inscripti-
oni, & eo animo, quo quidem
à me offertur, nimir. ingenuo,
ac candido, hanc *Historiolam*
Ecclesiasticam, vestrâ pietate,
& doctrinâ, haud indignam,
in tutelam, ac sacraria vestra,
antiqua nova, suscipite!

Deus, Pater D. N. JESU CHRIS-
TI, hoc turbulentissimo re-
rum omnium statu, *Ecclesiam*,
atquè *Academiam*, nostram,
conservet, nobis halcyonia
elargiatur, & pericula, furo-
tesque bellicos, procul amoli-
atur, Pacemq; in primis affli-
ctæ

Dedicatio.

*Etæ Germaniæ restituat! Ità vo-
vere, & precari, æquissimum!
Valetè! Marpurgi Hessorum,
M. DC. XL. V III. Cal. No-
vembr.*

V.V.V.V.

Magnificent.

Amplitud.

Reverend. Dign.

Excellent. &

Claritat.

Amantissimus

*Io. Petrus, P. Abb. Solitar, è fr. Abnep.
P. Secundi, è fr. Pronep. & Christi-
ani, è fil. Nepos, Lotichius D. Me-
dicus, & Profess. publ.*



D. E.

REVERENDISS. PATRE,
PETRO LOTICHIO,
ABBATE SOLITARIENSI,
ELOGIA ET TESTIMONIA:
PHILIPPUS MELANCHTON,
libr. Epigrammat.

Ad

Reverendum Virum,
PETRUM LOTICHIMUM, AB-
BATEM in Ecclesia Solitariensi:

** **S**olus LOTICHIVS Scholis & Aris
Doctrinae studium, DEIq; honores
Reddit, fictitiis Deis remotis.

Hunc tu LOTICHIVM tuere, CHRISTE,
Aeterno laque nate de Parente!

Solitariis. M. D. LVII. II. d. Decemb.

ALBUM, sive (cei vocant) MATRICVLA, Academia
Marpurgensis:

(cui uterq; P. LOTICHIVS, Patruus, & Ne-
pos, inscriptus) ita habet:

B

ANNO

A Nno 1544. Rectore, NICOLAO PLECH-
LERO, (cujus Rectoratus semestris tantum
fuit, ut reliquorum omnium ferè, à Calendis Ju-
nii, usq; ad Calend. Julii) nomen suum professus
ibi est novitius PETRUS LOTICIUS (sic enim
antiquitùs vocabantur: quod cognominis, mo-
nente D. Phil. Melanchtone, euphoniæ gratiâ, po-
stea in LOTICHIIUM abiit) SOLITARIENSIS: Et
paulò post: JOHANNES HAGENIUS, HERPI-
POLENSIS.

Posteà verò, eodem Anno, Rectore D. JO-
HANNÉ DRACONITE, CARLSTADIENSI,
(cujus officium duravit à Calend. Julii, usq; ad se-
quentes Calend. Ianuarias) ita scriptum invenitur:
PETRUS LOTICIUS, ABBAS SOLITARIEN-
SIS, (vulgus *Schlüchter* appellat) hanc *Univerſitatem*
invisit magna cum laude. Hic non solum eos,
quos *Herbipolis* ordinare voluit, sacerdotes, huc mi-
sit, propter *Evangelica*, sed etiam *Reformationem Ec-
clesiarum suarum*, juxtà DEI verbum, *scripto publico*
confessus est.

Andreas Hyperius, SS. Theol. D. &
Acad. Marpurgens. Professor:

Epistolâ Dedicatoriâ,

Quam

Reverendo in CHRISTO Patri, ac Domino,

D. PETRO LOTICHIO, ABBATI SOLI-
TARIENSI longè dignissimo,

Inscri-

3

*Inscripsit, & libro, de rectè formando Theologiae
studio, praefixit:*

** Huc porrò tendunt, *Reverende Pater*, ista omnia, Cùm exploratum habeam, Te, ut Pietate, ita doctrinâ quoq;, excellere: minimè dubito, quin de omni studiorum genere, quo Pietas modò promoveri utcunq; queat, magnificè semper sentias: neq; id solum, verùm etiam omnibus viribus, omnibusq;, quod ajunt, copiis, ad eadem studia evehenda, illustrandaq;, enitaris. Ac sunt sanè plura argumenta, in conspectu posita, quæ ita esse ut persuasum habeamus, efficiant. Primùm enim SOLITARIÏ, ubi magna cum laude multos annos præes, SCHOLAM non modicis instituiisti sumptibus, in quo delecta iuventus elementis DOCTRINÆ RELIGIONIS, & BONARUM LITTERARUM, summâ optimorum præceptorum fide ac diligentia, ad omne officii munus informatur. Hac autem re, quamvis per se laudatissimâ, non contentus, PLURES ADOLESCENTES (quorum nonnullos novi liberali planè ingenio, & expectationem sui egregiam concitantes) jam longo tempore, & liberaliter, IN PUBLICIS SCHOLIS, alis, & THEOLOGIÆ omnes sedulam dare jubes operam, ad ECCLESIARUM gubernationem, quamprimùm erit opportunum, admovendos. Jam verò POPULO, tibi concredito, MYSTERIA EVANGELII JESU CHRISTI in Ecclesia accuratè ipse tradis, & inculcas: nullum, sicut *Apostolus* loquitur, defugiens laborem, odia, pericu-

pericula, quó minús veritatem, divinitús revelatam, patefacias. Adhæc, ergà quoscunq; **PAUPERES** quantâ sis humanitate, quàm benignè, hilariterq; sublevandis ipsorum necessitatibus **OPES** impertias **ECCLESIAE**, (quæ imprimis ad *Ministros verbi* & *Pauperes*, alendos, fovendosq;, sunt à Majoribus, juxtà *Apostolorum* doctrinam, collatæ) norunt in vicinitatibus, & confiniis habitantes universi: norunt etiam procul disjuncti: quorum alii expertos se profitentur: ad aliorum verò aures de tuis virtutibus (ut latere benefacta non possunt) quædam sunt fando perlata. Optimo autem jure de præclaris hisce tuis factis (nam reliqua, non inferiora, taceo, quando quidem quævis egregia virtus plures semper habere solet comites, sicut neq; notabile ullum vitium consistit solum) plura à me dicerentur, eademq; prout par erat, prædicarem: sed in præsentì certis de causis prætermitto. Unum tamen illud verè dicam, vehementer scilicet optare me, quin etiam à **DEO**, *Patre Cœlesti*, frequentissimè precari, ut *orbis CHRISTIANUS* quàm plurimos, tui similes, non dico **ECCLESIARUM ANTISTITES** tantùm, sed **PRINCIPES** quoq; viros, & **OPTIMATES**, habeat, qui in promovenda cœlesti doctrina te æquare, imò superare, pro suâ facultate, omni animi contentione, elaborent. Certum namq; est, si id contingeret, longè melius tam *Ecclesiam*, quàm *Respubl.*, ordinatas propedièm cerneremus, atque omnibus pariter rebus humanis feliciùs, quàm

5
quàm hactenùs, consultum foret, paucis multa
complector, &c.

Et paulò post:

Cùm igitur, *Reverende PATER*, pro eximiâ tuâ
Pietate, & excellenti *Eruditione*, studiorum sacro-
rum semper visus sis patrociniùm cupidè suscipe-
re: & quo pacto cæteri quoq; , qui potentiâ, atq;
autoritate valent, idem facere cùm possint, tùm
pro officio debeant, unus luculenter, & quasi si-
gno sublato, ostendas: ratus sum profectò, me o-
peræ facere pretium, &c. *Marpurgi, M. Martio,*
1556.

*Nicolaus Asclepius, in Academ. Mar-
purg. Philosophiæ Profess. P.:
in Epistola,
Ad eundem*

*PETRVM LOTICHIVM, Abbatem
Solitariensem,*

** Quem, (inquit) non moveat, imò in amo-
nem rapiat Tui, ingens ERGA SCHOLAM HANC
voluntas tua? Ad quam, velut ad pulcherrima-
rum rerum, DOCTRINARUM videlicet, MERCATUM,
non Tuos modò dimittis, & ingeniis orna-
tos, & probitate, verùm Ipse Tu, commeas, veluti
novum aliquod orbis miraculum, aut *phœnicem*,
contemplaturus. Qui igitur tanti facias A C A-
DEMIAM hanc, quis, qui literariam hanc Rem-
publicam amet, non item Te amarit? &c.

B 3

Et

Et paucis interjectis :

Quantò igitur tua fortuna illorum melior, quis non videt? Poteras vel domi, propter egregiam eruditionem, foràs eminere tamen, gloriâ, & famâ, clarus esse. Sed intemperantium est hominum, non prodere in lucem DEI donum, erga literas favorem, & summam cognitionem. Emergis igitur, & te ostentas, non arrogantiam aliquam, sed in doctissimos quosque clementiam & beneficentiam. Prodis, & PHILOSOPHICAM SCHOLAM invisis, MUSAS salutas, cum APOLLINE habes consuetudinem, & cum Diis IMMORTALIBUS accumbis. An igitur Te non faciamus plurimi? An non amemus? An non efferamus? qui de SENATU hoc PHILOSOPHICO tam censes egregiè, prædicas magnificè, invisis humanissimè? Sed longiùs egredior quàm &c. Marpurgi, XV. Kalend. Augusti, Anno Christiana salutis, M. D. XLV.

Paulus Eberus, SS. Theol. D., & Eccles. Witebergens. Pastor:

In Calendario Historico, sub M. Iulio:

Anno, M. D. LXVII., V. Nonas Iulii, Reverendus Dominus, PETRUS LOTICHIUS, ABBAS Cœnobii Solitariensis, piè obiit. &c.

Johannes Hagius, , Francus,
D. Medicus,

In Vita P. LOTICHII SECUNDI:

** Quid

** Quid dicam (inquit) de PETRO LOTICHIO, PATRUO, COENOBII ejus ANTISTITE, sene venerando, ac perdocto, ad cujus discretionem SECUNDI nomine nuncupari POETA NOSTER judicio suo & voluit, & postulavit, adolescens admodum? Viro insigni pietate, omni genere laudis, Virtute, Sapientiâ, Doctrinâ, præstante, qui non solum familiam, & natales obscuriores suos, sed, quod verè immortali, æternâq; laude dignum est, DEI gloriam veritatis cœlestis, quod est verbum DEI viventis, propagatione illustravit, juvitq; Religionis opus, quantum quivit maximè.

Et mox ibidem:

Idq; SOLITARIIS primùm, ubi fundamenta prima jecit earum laudum maximarum, virtutumq; eximiarum, ad quarum culmen, progressu ætatis, studioq; adhibito, feliciter pervenit. Erat quippe ibi SCHOLA, tam vigilantibus curâ dicti PATRII, ABBATIS doctissimi, PETRI LOTICHI, haud properam constituta. Cujus quoq; viri *Domus*, tum, ceu MUSARUM DOMICILIUM, erat, & receptus, COMMUNEQ; QUODDAM HOSPITIUM, HOMINUM LITERATORUM, & doctorum: Quorum consuetudine (pares namq; cum paribus veteri proverbio) ABBAS, ipse doctissimus, cum primis maximè delectari, præmissq; ad se invitare adsolere. Quem ego vidi adolescens SENEM, MARPURGI HESSORUM, sic bonis literis nobiscum, ac studio præsertim Theologico,

non per se solum præclaram operam navantem,
verum etiam in *optimarum Artium* studiis, maxi-
mè *literarum sacrarum*, bona ingenia complura,
cum sumptu liberali suo, foventem, tum ve-
rò exemplo proprio, ac convictu domestico, cot-
tidiano, invitantem, atque excitantem, atque in
his unâ **PETRUM LOTICHIIUM SECUNDUM**,
ex fratre nepotem. Quem verò virum, atq; *Anti-*
stitem, venerandum, **PETRUM LOTICHIIUM**, nos
unâ nobiscum versantem, in **ACADEMIA**, sic co-
luimus, sic observavimus, atq; suspeximus, ut
non solum haberent **ALUMNI**, **STUDIOSI ADO-**
IESCENTES, exemplum pulcherrimum domesti-
cum, ob oculos quasi positum, quod intuerentur,
quod contemplarentur, quod, ad capeffendas a-
lacriter cum disciplinas honestas, tum virtutes, æ-
mularentur, verum etiam **UNIVERSITAS** ipsa,
ac **DISCENTIUM**, & **DOCENTIUM**, pariter fre-
quentissimi **COETUS**, **CONSESSUS**q; honestissi-
mi, ac nobilissimi, illi assurgentes, in ipsum vul-
tûs, oraq; obverterent sua. Adsolebat verò is,
ubi intentionem studii remittere vellet, animum-
que relaxare curis, plurimum per familiariter uti
(gaudent quippe bonis semper jungi bonæ **GRA-**
TIÆ, & amant sua alterna solatia **CAMÆNÆ**)
JOHANNÉ DRACONITE, *Theologo*, ac **JOHANNÉ**
HILDENBRANDO, *Iureconsulto*, popularibus, am-
bobus *Francis*, ambobus viris doctissimis, huma-
nissimis, optimis. &c.

Subjun-

Subjungit postea:

Atque initio quidem, mox post adventum nostrum Ego, & PETRUS LOTICHIUS SECUNDUS, cum popularium suorum SOLITARIENSIVM bonorum juvenum STUDIOSORUM complurium CATERVA, qui DUCE ipso, quasi antesignano, PETRO LOTICHIO, ABBATE SOLITARIENSI, eodem tùm tempore, studiorum causâ, MARPURGUM venerant, unâ in SCHOLA MARPURGENSI apud Magnificum Rectorem, de more, nomina nostra dedimus, unâ, ritu communi scholastico, & academico veteri initiati sumus, in *edibus Draconis. &c.*

Abraham Bucholcerus,
In Indice Chronologico,

pag. 548:

Anno, M.D. XLIII., PETRUS LOTICHIUS Abbas Solitariensis, Religionem Pontificiam mutat in Lutheranam, seq; commendat patrocinio Comitum Hannonia.

Caspar Cunradus, Uratislavius, D.
Medicus, & Polyhistor:

*Prosographia Medica Millenario. III., super
viris Illustribus:*

B 5

De

De

PETRO LOTICHIO, ABBATE
Solitariensi:

Myſta DEI, & Phœbi gnavus, ſacra omnia volui:
Jure gregis vocitor Cœnobiarcha mei.

Obiit III. Julii, M. D. LXVII.

Simo Sthenius, Lombacensis, in Acad.
Heydelbergensi Histor. & Poëtici.
Profefs. P.:

In Vita P. LOTICHII SECUNDI:

** PATRUS horum fratrum, COENOBII, cu-
jus modò mentio facta est, ANTISTES, PETRUS
LOTICHIIUS, (unde, discriminandi causâ, noster
SECUNDUS appellatus) senex, & doctrinâ, & can-
tie, venerabilis, veritatisq; cœlestis propagandæ
studio insignis, generosâ SECUNDI indole mo-
tus. &c.

Melchior Adamus,

In vitis Germanor. Philosophor., de P. L O-
TICHIO SECUNDO,

pag. 207:

** Erat n. SCHOLA, consilio, & curâ ABBATIS
PATRUI, non pessimè constituta: & hujus Do-
mus ipsa, quasi Musarum Domicilium, à viris doctis
celebrabatur: cum ipse doctus doctorū consue-
tudine plurimùm delectaretur, & præmiis insu-
per ad se invitare soleret. &c. IDEM,

IDEM,

In vitis Germanor. Medicorum:

De PETRO LOTICHIO SECVNDO,

Eodem,

pag. 103:

** SECVNDI nomen sibi asscivit, discriminis causâ, cum PATRVVM haberet cognominem, *Solitariensis Monasterii Antistitem*, PATRVVM, inquam, cognatione, animo reverâ PATREM. Hîc enim, ubi puerum, mirificâ virtutis indole præditum, perspexit, alendum, & in literis erudendum, suscepit, ac primûm *Iacobo Mycillo*, ludi apud *Frankofurtenses* tûm moderatori, eum commendavit. &c.



IN

IN VITAM

Reverendâ Dignitate, antiquâ Virtute, & Fide
præstantissimi Viri,

PETRI LOTICHII PRIMI, AN-
TISTITIS quondam MONASTERII SO-
LITARIENSIS dignissimi: & de Re literaria,
cû primis autem Ecclesia DEI reformata,
meritissimi:

à

Clarissimo, & Experientissimo Viro,

Dn. IO. PETRO LOTICHIO, D.

Medico, & C. P. Cas., Abnepote,

Conscriptam, & honoris, & amoris ergò, posteri-
tati derelictam:

ECce! reviviscit PETRVS, qui nomine *Primus*
LOTICHIVS, præsul *Soltariensis* erat.
Cætera, quis fuerit, quid præsteritq;, superstes,
Ipsius hîc graphicè *VITA* notata refert.
Munificus donis, benefactis largus opimis,
Exulibusq; foris, pauperibusq; domi:
Multa tulit patiens, patièdo plurima vicit,
Unus honor *CHRISTI* cura, laborque fuit.
Ut, vir clare, tamen possit redivivus haberi,
Promeruit studium cum pietate tuum.

Georg. Faber, D., Castri Imperialis Friedber-
gens. p. t. Medicus ordin. &c.

M. D C. X X I I I. I V. Id. Novembr.

In

*In eandem vitam,**Ejusdem**Reverend. PATRIS, ac Domini,*

Dn. PETRI LOTICHII, quondam Cœ-
nobii Solitariensis Abbatis, ob Pietatem,
& Zelum veritatis, dignif-
simi:

Ergò Templorum, doctores, atq; Scholarum,
Queis minùs est animus candidus atq; favens!
Hùc patulas agite, hùc aures advertite vestras!
Ut cognoscatis, quid liber hicce ferat.

Ast cognoscatis non tantùm! discite mores

Sed vestro etiam corrigere indè malos!

C O E N O B I V M quoddam est, cui nomen fecit

Multis hinc annis ejus origo fuit. ἔρημος,

MAGNVS enim, *PRIMVS GERMANICVS,*

INDVPERATOR

Ejus fundator CAROLVS ipse cluet.

Mons illinc spectat, DRVSI de nomine dictus,

Alluit hinc verò Chynthius amne suo.

PETRVS LOTICHIVS quondam venerabilis

Eximia Præsul cum pietate fuit. (hujus

Illiusq; prior puram Templisq; Scholisq;

Doctrinam, atq; Artes reddidit iste loci:

Vicinosq; nihil metuens, nec fulmina summi

Pontificis, fictos sustulit ipse Deos.

Tùm, quantùm potuit, fumo, fucoq; remoto,

Substituit cultum simplicitate pium.

Unde

Unde sibi dextram divinam sensit adesse,
 Hoc sacrum ut meliùs progredere tur opus.
 Et, quò posteritas cultum retineret eundem,
 Ipsius pressit pectora cura gravis.
 Hinc, essent ut ei puri fidiq; *Ministri*,
 Hic labor ipsius solus, & unus erat.
 Tradebat multos hinc doctis *Erudiendos*
 De verâ verbi mente salutiferi.
 Sumptibus exiguis non enutrivit utrosq;,
 Sed fovit magnis sufficienter eos.
 Quoq; illuc solùm, primum directâ fuêre,
 Ad sacros usûs, erogat ipse bona. isthoc
 Nempe aliter multò, quàm plures (proh dolor!)
 Tempore prædones ista locare solent:
 Omnia qui rapiunt, ut corpora crassa saginent,
 Adq; suum luxum cuncta referre sciunt.
 Ast, ô impietas! quò vivant *Templa*, *Scholæq;*,
 Hic ipsos minimè cura vel ulla premit.
 Sic sese verè similes his esse fateri *Hagg. 1. 4.*
 Cogantur, de queis verba *Propheta* facit.
 Quare etiam vobis pœnæ, quas indicat idem,
 Spectandæ, si non abstineatis, erunt.
 Ast non talis erat tibi mens, dignissime *Præsul*,
 Ut dictum est, largè dicet & hicce liber.
 Hinc tua nunc igitur meritò post funera vivet
 Laus, quamvis cineres frigida terra tegat:
 Atque tuum nomen vasto clarebit in orbe,
 Donec devolvat *Cynthius* amnis aquas.

Johannes Musculus, Solitariensis, f.

M. D C. X X I I I.

Reve-

Reverendiſſ. Patris

PETRI LOTICHII, ABBATIS

Solitarienſis,

V I T A:

A U T O R E

IO. PETRO LOTICHIO, D. Medico,

P. Abbatis è fr. Abnepote :

Quantumvis vera virtus, ea nimir., quæ inter cetera humanæ mentis molimina, chorũ ducit, non gentilis, & fucata, sed solida, & Christiana, *Pietas*, non tantum in isthac terrenæ fecis mistura, verum etiam in illa cœlesti perfectione, beatarumq; animularum concilio, ipsa sibi operosum, gloriosumq; abundè sit præmiũ, & remuneratio, ideoq; alieno etiam præconio, & suspensâ (quod ajunt) in publico hederâ, parum indigere videatur: nihilominus tamen ab omni penè, in hodierna usque tempora, seculorum memoriâ, (à quibus humaniores *Musa* duris alioquin istis *Iapeti* nepotibus, introductâ in primis bonarum *Artium* culturâ, rerum etiam aut virtute masculâ, aut literis egregiè gestarum; dulcem recordationem instillârunt) laudabili admodum instituto hætenus observatum fuisse, legimus, ut, quorum aut in *Ecclesiam DEI*, aut in *Rempubl.*, aut in *litteras*, aut alia in communem aliâs hominum sive oblectationem, sive usum, sive etiam ornamentum

men-

mentum, extant beneficia, merita, atque exempla, præclara, eorum meritò etiam juxta laudes, præconia, ac rerum gloriosè gestarum, monumenta, ad omnem futuræ posteritatis famam religiosè transcribantur.

Et profectò, si rerum id genus memorabilium, ab initio *Vniversi* conditi, indè huc-usq; pertractatarum, historiâ, delineatione, in primis verò, quæ ex indè eruitur, contemplatione, & memoriâ, destitueremur, certè imbecilla hæc nostra, & tot malis defatigata, ætas, ob rariora illiusmodi, non cuilibet in oculos incurrentia, honesta exempla, in pluribus humanæ vitæ actionibus, aut pessimè aberraret, aut certè non parùm cœcutiret. Quem in finem videre hætenùs licuit *Romano*, inquam, in foro, tanquam vivo, & augusto totius mundi exemplari, tot, ac tam grandes scilicet moles, Obeliscos, Pyramidas, Colossos, Cippos, Statuas, Imagines, Amphitheatra, Aqueductus, Circos, Portas triumphales, atque innumera ferè marmora, memoriæ igitur, tantùm non integro populo, sed certis, præcipuisque, viris, de *Republ. & Patria*, benè meritis, modò non ab initiis rerum ejusmodi benè gestarum erecta, verùm enim verùm eadem etiam post multas retrò seculorum ætates tempestatibus ruinam miniantia, aut tùm jam collapsa, de novo, novo itidem, eodemq; laudabili, instituto, esse restaurata, reposita, atque insuper novis usque eo *Inscriptionibus*, novisq; ornamentis ac fulcris, investita, eo duntaxat fine, ne grata, ac rara, factorum memora-

mora-

morabilium memoria, atque recordatio, apud desideratam posteritatem, immori unquam, aut intercidere, posset: sed ut, vivi potius instar exempli, imò speculi, cuiusvis ætati, & ad contemplandum, & imitandum, concelebrandumq; , ob oculos ea omnia, quanta quanta, obversarentur. Quod si verò prisca, & gentilis, ista hominum ætas, tam curiosa, ne dicam, ad superstitionem usque, religiosa, fuit, in conservanda, imò transplantanda, rerum memoratu dignarum, aut dictarum, factarumque, custodia: quanto magis **E V A N G E L I I** luce illustratis, *Christianis*, inquam, hominibus, incumbit, eorum potissimum, qui pia monumenta, non *Cippis*, aut *Cedro*, sed *Astris*, sed *Cælo*, digna, vel scriptis, vel in animis hominum, nobis reliquerunt, multa cum laude, atque honorificentia, identidem recordari? Si enim apud *Gentiles* olim istos, inter cætera opera, & facinora, tanti fuit victoriam aut à *Parthis*, *Gothis*, *Vandalis*, *Gallis*. &c. reportasse, & *Romani Imperii* fines aliquo usq; extendisse: quanto magis illud fuerit, *Inferno*, atque *Diabolo*, tanquam *Christianorum* omnium juratissimo hosti, fortiter restitisse, aut super eodem devicto, triumphasse, adeòque vice versa *D. & S. N. JHESU CHRISTI Regnum* his in terris promovisse, ac pro virili propagatione illustrasse? Cujus rei eximium admodum, & illustre

C
exem-

exemplum, in Reverendiss. Patre, PETRO, inquam,
 LOTICHIO, piæ ac beatæ recordationis, olim
 Monasterii & Ecclesiæ Solitariensis ABBATE, pro-
 posituri, principiò, extrà omne dubitationis
 periculum, ponimus, eundem PETRVM AB-
 BATEM, ob præclaram, & multis nominibus
 spectatam! Pietatem ergà DEVM, Charitatem Chri-
 stianam ergà proximum: benignitatem ergà pau-
 peres: munificentiam ergà literatos: bonitatem,
 & merita in Ecclesiam, Rempubl., Scholasq;, amplif-
 sima: alias itemq; pias, & eximias virtutes, in-
 primis etiam doctrinam, atque sapientiam, præ-
 stantem; æterno elogio, imò Christiano ho-
 norario perpetuæ recordationis obelisco, di-
 gnissimum esse. Quis enim est, qui, si exactius
 secum reputet, quantâ hic noster pietate, quã-
 to zelo, & animi ardore, turbatis tum tempo-
 ris istâ seculi tempestate rebus propemodùm
 omnibus, Ecclesiæ CHRISTI, à quilibet, &
 traditionibus humanis purgandæ, omnem o-
 peram impenderit; quantâ curâ, in constitu-
 enda bonarum Artium officina, sive Schola, o-
 mne studium posuerit; quantâ sedulitate in a-
 tendis, educandisq; sacrarum, humaniorumq;
 literarum Alumnis, iisq; postmodò assertoribus,
 non absque præcipuis sumptibus, occupatus;
 & quantâ denique liberalitate, beneficiâq;
 in pauperibus sublevandis, usus, fuerit, non taci-
 tè secum, eundem jure optimo, vel suprâ lau-
 des suas ascendere, coarguat?

Quibus,

Quibus itá obiter prælibatis , eò minus etiam cuiquam fortè domesticum testimoni-um in re cognata afferre videbimur : tametsi maluissemus quidem, hanc ipsam provinciam alienis olim (cùm omnia magis nota, clara, at-que perspicua, fuêre) humeris impositam fuisse : interim tamen, & *Reipubl. Christianæ* non parùm interesse , & nostrâ etiam haud modicùm referre , existimantes , seriò persuasi sumus, si-ubi tanti viri, de *Ecclesia Christiana*, de *Republ.*, de *Scholis* præsertim, de *Literis*, literatisq; complu-ribus, tantoperè meriti , dignas laudes , imò totius fermè vitæ probatæ curriculum (cujus velut rudera quædam, miro certè eventu, no-stras ad manus pervenerunt) è silentio , & te-nebris non erueremus, sed publico omnium bonorum conspectui subtraheremus diutiùs, jure istud nobis , ceu piacularis admitti crimi-nis loco, ducendum esse. Nihil itaque alienum (cujus nos jure pœnitere possit !) isthunc lite-rarium in campum à nobis producetur, nisi quod ex ipsius *ABBATIS LOTICII* manu atque *autographo*, aut publicè alioquin *historia-rum, scriptorumq;* , & id genus *Epistolarum*, extan-tium , monumentis, ad oculum evidentissimè cuiuscunq; demonstrare possit , ac debeat. Quæ igitur proximè insequuntur , eum in fi-nem ab *ABBATE LOTICHIO*, *An. M.D.LXI.* biennio nempè, antequàm huic mundo vale-

diceret, præcisè consignata invenimus, quò testimoniū aliquando peti posset indubitatissimum, quotquot scil. numero *Alumnos*, aut *Studiosos - Milites*, in publicis hinc indè *Gymnasiis*, atque *Academiis*, non sine magnis & præcipuis sumptibus, educâssent: & quotquot ex iisdem ministeriis *Ecclesiæ*, & *Scholæ* præfecisset: similiter, quantum in recens à se apertæ *Scholæ*, novæq; *Bibliothecæ*, instaurationem, impendisset: & quo denique ordine, quâque ratione, tum res *Ecclesiasticas*, tum *Scholasticas*, tam quàm ipsum *Solitariense Monasterium*, quàm quàm reliquos ejusdem territorii fines, administrâssent: usq; eò, ut sapiens posteritas istūc, tanquam in exemplum, intueri, & pium *ABBATEM*, contra latratūs malè feriatorū, & injurias, ab adversariis objectas, defendere satageret.

Itaq; *Anno*,
à salutifera Domini & Servatoris nostri *JESU Christi incarnatione*, *M. D. I.*, natus est *PETRVS LOTICHIVS*, *ABBAS Monasterii Solitariensis*. Puer quindecim annorum, è ludo literario Lipsiensi à parentibus evocatur Mense Novembri, ab iisdemq; sequenti, Anno *M. D. XVI.*, *M. Ianuario*, in *Monasterium*, quod est *Solitariis*, adductus, sacris monasticis ritè initiatus est. In quo stadio & vitæ curriculo, deinceps ad supremum usq; vitæ halitum, annis plusquàm *XLIX.*, constanter permansit, neq; aliò pedem, ex pio proposito, efferre unquam cogitavit.

Lo

Eo tempore, cùm in Monasterium suum receptus
 fuisset LOTICHIVS, illius loci Antistitis munere fun-
 gentem invenit Abbatem, nomine Christianum
 Happo, Windeccensem, Antecessorem suum, virum
 integritate vitæ, & pietate, admodùm conspicuum, qui
 tùm Annis. XIX. summo Præsulis officio eo loci præfue-
 rat. Is undecim alios Sacerdotes, quos Conventu-
 ales vocant) juxta se, eodem in Cœnobio sacris
 præfectos habebat, quorum labores erant fermè isti: quo-
 tidie ex more Missæ solennia celebrare, Horas itemq̃,
 prout indigetant, Canonicas, scil. primas, tertias,
 nonas, vespèras, completorias, &c. indefinenter,
 & ad ravim usq̃, decantare, usq̃ adeò, ut nullum ferè
 diei tempusculum, à legendo, cantandoq̃, istis vacuum
 transmitteretur. Præterea ad unum omnes monastico
 habitu induti, complures dies, Carnis privio manci-
 patos, transigebant, nullis privatis opibus inhiantes, po-
 tientesq̃, sed omnia omnes Abbati in unum velut a-
 cervum acervatim conferentes. Ex illis undecim Con-
 ventualibus unus Vice-Abbatis, (aliàs Priorem
 vocabant) secundus, Oeconomi generalis: tertius
 Oeconomi domestici: quartus Parochi: quintus
 Diaconi: sextus Custodis, partes gerebat: reliqui
 quinque, prælegendo, cantando, & Missæ solennia de-
 votè implendo, totos dies defatigabantur; quorum non-
 nulli etiam, ubi à publicis muniis vacuū erat, mechanicis
 artibus operam dabant: In summa, isti ad unum omnes
 undecim, & singuli, sua in commune depositum con-
 ferebant: è quibus proventibus, in unum collectis, cum
 Abbate non nisi præclarè agebatur.

Süb id temporis nulla Studiorum habebatur ratio, nulla Scholarum, nedum Præceptorum, hinc indè vel mentio quidem incidebat, donec pauló post, arrepto in manus calamo, divinitús excitatus D. LUTHERVS, compiures hinc indè passim grassantes, & œcomenicos, errores invictâ scriptorum suorum conficeret acie. Erat id autem ut quàm summè necessarium, ita' in Papatu isthæc Vitia, inter cætera, cardinalia, agmen ducebant: scil.

Mendacium & Idololatria:

Fornicatio & Luxuria:

Ocium & Crapula:

aded usq₃, ut jam jam sponte suâ ruinam, & interitum minarentur omnia, utpote iniquitatem illam diutiús nequicquam impune latura. Atq₃ hoc quidem pacto LOTICHIVS, admodúm adolescens, Antecessori suo in omnibus obediens, & moriger, in Monasterium Solitariense (prout ipse commemorat) initiò receptus fuit.

Anno M. D. XXIII., LOTICHIVS ritè Sacerdos inauguratur, & cum magna, eâq₃ singulari (sicut ipse habet) devotione, quotidie Missæ sacra peragit, atq₃ alia' ejus generis sacrificia. Decursu autem primi quadriennii, (ex quo LOTICHIVS in Cœnobium receptus fuerat) ex undecim suprâ dictis Conventualibus, quinque præcipui naturæ satisfecerunt, accrescente, & indies majoris audaciæ vires undiq₃ acquirente, truculentâ multorum malorum lernâ, quoad Anno M. D. XXV., Agrestes insuper
Tur-

Turbæ, & Motus Rusticorum, undiquaq; Insanientium, tantis malis immensum cumulum adderent, atq; omnino jus omne, piumq;, perrumperent. Ilicet LOTICHII antecessor, Abbas CHRISTIANVS HAPPO, Ecclesiam, vitamq; suam in discrimine haud modico versari animadvertens, uná cum reliquis, qui supererant, Conventualibus, ad Hanoviæ Comites profugit; quos tûm admodum hospitaes, & benignos, erga se, suosq;, est expertus.

Sedatis interea istis Rusticorum furoribus, Abbas, & predicti Conventuales, sacra patria repentes, omnia furore istius tempestatis turbata, in primis Ecclesiam suam horribili confusione laceratam, invenerunt. Ministerium siquidem, omni honore spoliatum, extremum quasi ducebat spiritum, nemo omnium Ecclesiæ, horribiliter quassatæ, opem ferre, nemo eandem in pristinum ordinem restituere, vel cogitabat quidem, usq; eó ad extremum devenerat Papatus, ita ut bona pars sacrificia devovere, multi sese muneribus Ecclesiasticis in totum abdicare, occiperent, nullo pene uspiam obvio, qui doctrinâ meliore, nedum modicâ saltém, imbutus, Evangelium de Regno DEI, puré, illibatéq;, rudi & confusæ plebi tradere aut sufficeret, aut posset, aut vellet.

Quum verò Monasterio Solitariensi, tanquam Ecclesiæ Cathedrali, aut Abbatiæ, complures in super Parochiæ subjectæ essent, Abbas in primis ejus loci, ex antiquo instituto, Primarium aliquem ex Conventualibus suis Pastorem, sive Inspectorem, ut

vocant, Solitariensi Ecclesiæ, præficiendum habe-
 ret, ecce! tibi seditionis, ac rebellionis, plenâ istâ tempe-
 state, quâ omnis ordo Ecclesiasticus turpiter profanatus,
 cruda hominum, & eò usq; perversa, vita spectabatur,
 LOTICHIVS, de voluntate Abbatis, Antecesso-
 ris sui, primariæ illi apud Solitarienses præficitur Ec-
 clesiæ, & quidem muneri tanto, tantôq; oneri, cui an-
 teâ quatuor ministri, ob populi multitudinem, vix suffi-
 ciebant. Atq; isthoc temporis articulo vix dici, multô
 minus scribi, potest, quantis cum suspiriis, quanta cum
 querela, & cordolio, plurima in officio illo suo, recens si-
 bi imposito, pertulerit LOTICHIVS, præsertim, cùm
 ne Adjutor, nedum Diaconus aliquis, ad tam sacri, tam-
 que ardui, muneris expeditionem, sibi adjungeretur.
 Sed, prout istâ tempestate fieri amabat, triobolariis, &
 semitariis id genus homunculis, si qui fortè obvii vix
 prima literarum elementa gustâssent, necessariô, defici-
 entibus ad id, operis idoneis magistris, cultus sacrorum
 committendus erat: si quid tamen istis, tanquam um-
 bris, & fugitivis mercenariis, quicquam committi di-
 gnè poterat. Neq; verò sola ista LOTICHIVM tor-
 quebat dies noctesq;, & quidem, si quæ alia, justissima,
 querela: quin imò, quod, fundamenti loco, jure præmit-
 tendum sibi videbatur, hoc inprimis ipsum, (prout in-
 genuè fatetur) agrè habebat, quòd à teneris (neq;
 enim istâ tempestate, bonarum artium studiis aliquid
 tribuere, moris erat) minús Literis Humanioribus, præ-
 cipuè verò, SS. Theologiæ, mysteriis, ipsemet imbutus
 fuisset. Interim immensâ JEHOVÆ gratiâ quotidie
 aliquid

aliquid emolumentum piis conatibus adjiciente, breviusculo post illa temporis intervallo, optimis quibusq; libellis per Lutherum, Melanctonem, & Alios, in lucem emissis, egregie admodum adjutum se, tantoperè predicat, ita ut demandati muneris vices eo rectius, eo confidentius, exequi deinceps potuerit.

Quum ergo annis adhuc florentibus juvenis, atq; ad labores impiger, esset, ipse potissimum, re postulante, cum è suggestu publice concionabatur, tum cætera id genus munia Ecclesiastica strenuè obibat.

Sub id temporis reliqui, ceu loquuntur, Conventuales, omnes è vivis excefferunt, ita ut Christianus Abbas, præter solum, & unicum LOTICHIVM, primarium Ecclesiæ Solitariensis pastorem, (si duos adhuc excipias, alterum Wolfgangum nomine, alterum semitarium, & vetulum Monachum, Joannem Binth appellatum, Windeccensem) superstitem haberet planè neminem.

Tandem, prout humana variant vices, ipse quoq; pietate & senio provectus, Abbas, tam reipsa, quam prænomine, Christianus, his in terris esse desiit: & illud quidem accidit, Anno M. D. XXXIV., Mense Martio. Cui postmodum viro, rebus humanis exempto, concilio procerum coacto, ritè electus Abbas successit Lotichius: tanta dignitate, tantoq; loco, (tametsi ipse in Ms. sese ineptum, atq; indignum, ex innata modestia, arguat) certè, sicut eventus postmodum abundè probavit, si quisquam alius, dignissimus. Hic verò, velut se minimè ignaviæ (quæ multis alio-

quin familiaris) sed Ecclesiæ, & Reipub. Christianæ, natum esse, ostendebat, itá tûm demûm curam, & sollicitudinem pristinam, super rebus Ecclesiasticis, dextrè gubernandis, suam comperiebat secum multis modis esse auctam.

Ingressus igitur primum felicibus auspiciis Præsulatûs sui annum, religiosum quendam, sicut vocant, Joannem Salicetum nomine, è Bavaria oriundum, & eidem, cum Cœnobio Solitariensi, D. Benedicti, ordini addictum, Solitariam adventantem, in Cœnobium suum opportunè, ac lubens, recepit LOTICHIVS, eundemq; primò Ecclesiæ Solitariensi Diaconum, deinceps Pastorem, prefecit: idq; quòd is haud populariter eruditus esset, cum nonnullo Auditorum emolumento, & sui oneris juxtá haud modicâ allevatione.

Eo ipso tempore, liberalibus admodûm impensis, LOTICHIVS de novo novam Solitariis Scholam & Gymnasium, aperuit: undè brevi, aspirante singulari DEI OPT. MAX. benedictione, factum est, ut confluyente passim ad illustre illud Lycæum numerosâ juvenum cohorte, porrò LOTICHIVS, mitigatis illis curis, & molestiis pristinis, abundè tam sibi, quàm regimini Ecclesiastico, posset satisfacere. Ibi tûm, inter cæteros adolescentes, ad Scholam, recens constitutam, advolantes, Nicolaum Lotichium, postea Steina-viensis, & Sigifridum Hertenum, Solitariensis, Ecclesiæ suæ, pastores, eâdem operâ, tanquam uberiolem ad mercatum, ad Wittebergensem Academiam
trans-

transmittens, communi praeceptori Philippo Melanctoni, quò ad ministerium Ecclesiae eò rectius informarentur, Anno M. D. XLII., commendavit. Dictu verò incredibile est, quanta circa hocce tempus obrectationes, qualiaq; impedimenta à persecutoribus, ac malignorum hominum grege, LOTICHIO fuerint obiecta: quæ omnia nihilominus in victò propemodum, & constanti, animo discussit. Interea, aliquo post tempore Witebergâ redeunt prædicti suprâ pastores: quorum tùm LOTICHIVS commodè operâ adjutus, in emendanda, reformandaq;, re Ecclesiastica, feliciter perexit. Ex illis autem Nicolaum Lotichium, Rahnoltzensi (cujus Parochia ad Solitariense Cœnobilium pertinet) Sigfridum verò Hettenum, Ecclesiae Solitariensi, præposuit.

Anno M. D. XLIV., Septem alios Studiosos adolecentes LOTICHIVS ad Acad Marpurgensem, suis sumptibus, ablegavit: ex quibus cum tempore haud inepta Ecclesiarum suarum fulcra suscepit. Ipse enim LOTICHIVS Abbas (prout sanctè estatur) nihil prius, nihil antiquius, nihilq; amplius, in votis habebat, quàm ut Ecclesiarum, tantum non in ipsa Solitaria, verum etiam aliarum in pagis, & aliis oppidulis, ad Solitariam spectantibus, elegans harmonia, & concinnitas conspiceretur, in Cœnobio verò suo Scholâ, bonis legibus apprimè constituta, vigeret; & demum iis ipsis de causis viri boni allicerentur, qui, unâ cum Abbate, Cœnobio addicti, in pergendis quotidie divinis cultibus, ad emolumentum, & readi-

reædificationem Christianæ plebis, strenuè occuparenti ir.
 Prout autem res isthæc laboribus haudquaquam vacabat, ita istâ tempestate, ut quisque sacerdotum
 cœlibem vitam ageret, adhuc dùm comparatum
 erat. Nihilominus tamen, priscis istis Sacrificulo-
 rum Traditionibus usq; eò abrogatis, ac magis, ma-
 gisq; collabascantibus indies, in id res reciderat penitus,
 ut, si quempiam ad Ecclesiæ ministerium LOTICHIVS
 vocaret, eidem etiã necessarios, pro conjugè, & familia at-
 tendenda, annuos sumptus, numerare teneretur, alioquin a d
 id munus, in Ecclesia subeundũ, invẽturus facilè nemini.

Cæterum, quò omnibus Christianæ virtutis,
 pietatisq; amantibus, egregia, & inusitata fer-
 mé, isto præsertim crudo seculo, Reverendiss. Vi-
 ri, LOTICHII Abbatis, in Ecclesiam Christianam, e-
 jusdemq; seminaria, scil. bonarum Artium of-
 ficinas, id est, Scholas, ac indè prodeuntes
 ALUMNOS merita præclara, eò lucu-
 lentiùs ob oculos, citrà omnem alienum
 colorem, poni possint, visum est, Catalogum
 ceu quendam eorum, jam jam subnectere, qui
 munificentia prædicti LOTICHII Abb., par-
 tim ab ipsa pueritia, partim adolescentia, tum
 in mediocribus, tum etiam publicis, Gymnasiis,
 in commune totius Ecclesiæ Christianæ emolu-
 mentum, atque exædificationem, enutriti, li-
 beraliterque educati, atque porro ad ministe-
 ria publica proveci, fuerunt: quibus insuper
 accedet aliquid etiam de Ordine & Doctrina, quæ
 in

in moderandis *rebus Ecclesiasticis* progressus pro-
porro factus fuerit. Atque illud omne, quod-
cunque est, ex enarratione vernacula ipsius
ABBATIS, eo ordine, quo haec tenus in *Autogra-*
pho extat, subjungere allubescit.

Ex eorum autem numero sunt sequentes:

I. SIGIFRIDVS HETTENVVS, *Grünni-*
gen, *sis*, Pastor Ecclesiae Solitariensis, & vicinarum par-
och *iarum* Inspector, annis abhinc plusquam XXV.
ab Abb. LOTICHIO in Cœnobium receptus, ab
eodem tùm in domesticis, tùm publicis, Scholis liberali
sumptu educatus, & postmodùm ad prædictos honores
evectus.

Hic HETTENVVS Abb. LOTICHII è fra-
tre neptem, ELISABETHAM nomine, IO-
ANNIS LOTICHII filiam, P. LOTICHII
illius SECUNDI, & CHRISTIANI, fratrum,
gerinanam, in uxorem duxit: in quorum Nu-
ptia. extat apud eundem P. LOTICHIVM SE-
CVNDVM, Poëtam cultissimum, elegans, & fe-
stivum Epithalamion.

II. VALENTINVS GERLACVS, LOTI-
CHII à puero alumnus, ejusdemq; porro beneficio, Ec-
cles. iæ Solitariensis Diaconus.

III. NICOLAVS HORNIVS, à LOTI-
CHIO inde usq; à teneris educatus, ejusdemq; ope, &
ad vinculo, è patria Schola ad exteras Academias
amandatus, porro Patrii Ludi Præceptor classicus.

IV. SEBASTIANVS BAMBERGIVS,
à LO-

à **LOTICHIO** non ita multis annis enutritus, in eodem Ludo patrio Solitariae juventutis informator. Obiit Anno M. D. LXV. IV. Non. Martii.

Ex his **QUA TUOR**, modo enumeratis, quilibet, extra id, quod in *Matrimonio* vixit, familiam domi aluit, atque ex peculiari annuo, ab **ABBATE** recens constituto, salario, sed communi intra *Cœnobium* convictu, transegit. Quos juxta prædictos superiores ministros, *Quatuor* insuper aliorum *Adolescentum* mentio fit in *Autographo*: qui quidem **LOTICHIO** non parvam spem in literis, & pietate, concitasse (prout ibidem apparet) facile videntur: sed, quia nomina illorum non ascripta legimus, ideoq; merito, quinam isti fuerint, dubitamus.

V. **WENDELINVS IDMAN**, à morte **CHRISTIANI ABBATIS**, Antecessoris sui, antè annos XXX. circiter, ab **ABBATE LOTICHIO** in *Cœnobium* susceptus, ad Ministerii sacra, ejusdem bonitate, inauguratus, & postea ad ipsum Ministerium sub *Diaecesi* *Domus Schwartzenfels*, quinq; *Ecclesiarum*, quæ diversis in pagis colliguntur, provectus.

VI. **SEBASTIANVS PAVLINVS**, antè annos XX. unacum aliis, ad Acad. Marpurgensem, sumptibus **LOTICHII**, missus, postmodum Ministerii sacris initiatus, aliquantisper Solitariae Diaconi, deinceps verò Pastoris, munere, in citeriori *Steinovia* (vulgò *hinder Steinaw*) & tribus pagis aliis, ad *Cœnobium* pertinentibus, perfunctus.

VII.

VII. NICOL. DANIEL SCHONBVB,
Solitariensis, ab ineunte etate ABBATIS LOTI-
CHII domi, forisq; impensis sustentatus, tùm temporis
Pastor animarum in Ramoltz (quæ quidem Paro-
chia, unà cum Filiali, ceu vocant, atq; aliis eò pertinen-
tibus locis, à quingentis, ex quinquaginta annis, simul
cum omnibus regalibus, decimis, & redditibus, Cæno-
bio Solitariensi, ad istud usq; tempus fidelis, & sub-
jecta, fuit; sed postmodò à Nobilibus Huttenis de facto
infestata) & pagis adhuc illi annexis quinq; aliis.

VIII. HARTMANNVS GOTFRIDVS,
in Monasterio Solitariensi educatus, postea Pastor in
Oberkalba, diœceseos Bardensteinensis (qui locus an-
tè id tempus ministris alendis haudquaquam congruus)
constitutus.

IX. IOANNES VRSELER, è Monasterio
Neoburgensi probè Wonneckam, in Solitariense rece-
ptus, & Parochia præfectus in Grünau.

X. WOLFGANGVS HENSELER, se-
nior, Solitariensis, circa idem tempus cum LOTICHIO
Cœnobium ingressus, posteaquàm conjugem duxisset,
Anno M. C. XLII., Marjossam translatus, ibidemq;
ab eodem tùm ABBATE domui, redditibus, & bonis,
ad Cœnobium pertinentibus, præpositus.

Subsequentes jam tùm obierant:

XI. BERNHARDVS MELLEMAN-
NVS, à puero alumnus, postea permissu LOTICHII
ABB., Pastor Hanoviæ: ubi decessit.

XII.

XII. HIQB STEINENSIS, Pastor animarum in Steinovia citeriore.

XIII. NICOL. BAMBERGIVS, adhuc adolescens studiosus.

Sequentes verò Ministri pari liberalitate LOTICHII ABBATIS tùm educati, tùm, eiusdem permissu, aliò, ad obeunda ministeria, dimissi fuerunt: E quibus sunt:

XIV. NICOL. LOTICHIVS, ABBATI cognationis vinculo junctus, Steinovia, sub Hanovica ditione, pastor:

XV. VALENTINVS COLLOBIVS, primùm Ecclesiæ Solitariensis in Oberkalba, postea, concessione ABBATIS, propè Hammelburgum in Franconia, verbi divini præco:

XVI. CYRIACVS WEISS, Wonnekenfis, sub Hanoviae Comitatu parochus in Ober Ziffenheim:

XVII. IOANN. SCHAVVERMANNVS, Wonnekenfis, Liederbaci in Comitatu Epsteinensi verbi DEI mystes:

XIIX. FRIDERICVS SCHONBVB, sub diœcesi Abbatis Fuldensis, Ecclesiæ minister:

XIX. HENRICVS HAM, Gelnhusanus, primùm Ecclesiæ Solitariensis Diaconus, postea in Ramoltz, deniq, sub Hannovica ditione, in Bischoffsheim / verbi divini ministerio præfectus:

XX. LAVRENTIVS VOLTZIVS, Gelnhusanus, pastor in Pfrauheim:

XXI.

XXI. LAMBERTVS RVBE, parochus ad
Jossam in Oberdorff:

XXII. GERHARDVS N., Hanoviensis, ad
Rhenum, in quodam pago divini verbi minister. &c.

Complures insuper, præter enumeratos, pa-
rili, eâq;, inusitatâ penè, munificâ, liberalitate,
educavit, aluit, fovit, atque promovit LOTI-
CHIUS, ABBAS noster ille, immortalis certè
nomine, ob illam ingenuam, egregiamq; be-
nignitatem, in communia literarum optima-
rum studia, & Studiosos, dignissimus: quos qui-
dem ceu degeneres fungos, fucos, ignavumq;
pecus, à sacris (ut loquar cum *Horatio*) præ-
sepibus illis abarcendos calamo-tenus anno-
tare operæ pretium (prout ipse in *Autographo*
commeminit) minimè duxit.

Interim, literis (quarum penes me autogra-
pha extant) testibus, superiorum catalogo
superaddere possumus insequentes: qui omnes
& singuli tam in privatis, quàm publicis, Gy-
mnasiis, liberalitate *Lotichii Abbatis*, meliori-
bus studiis profecerunt: è quorum numero
sunt scil., *Joan. Hettenus, Gröningensis, Joan. Glumpe-
rus, Solitariensis, Mauritius Prætorius, Joan. & Va-
lentinus, Collobii, Joan. Gullius, Eberhardus Ebelius,
Thomas Myssenius, Michaël Molitor, Enoch Rodt,
Hartmannus Götze, Fridericus Keller. &c.*

Præter cæteros autem, & suprâ commemo-
ratos, omnes, VIR-ABBAS pientissimus,

D

egre-

egregiam, & verè poëticam, illam fratrum TRI-
GAM, videl.

PETRUM LOTICHIIUM SECUNDUM,
Phil. & Medicina Doctorem, postea Acad Heydelber-
gensis Professore, in primis Poëtam celeberrimum: qui SECUNDUS, ob idem sibi cum AB-
BATE PATRUO nomen commune, ab adole-
scentia indè usq; , appellari voluit, & postula-
vit:

CHRISTIANUM LOTICHIIUM, Philos. &
Opt. Artium Magistrum, eundemq; pariter Poë-
tam ornatissimum: (AVUM nostrum) postmo-
dum Cœnobii Solitariensis Coadjutorem: Et

GEORGIUM LOTICHIIUM, natu mini-
mum. (qui non minus singularem etiam poëti-
cam dexteritatem, puer Annorum undecim, præ-
se ferens, præmaturâ nimis eheu! morte, sic
ut liquet ex Epigrammate, Inferiis illius, à P. L O-
TICHIO SECUNDO!, Carm. lib. II., in scripto
sub disciplina doctissimi viri, Conradi Cremeri,
Gymnasiarchæ Gelnhusani, obiit Anno M. D. XLIV.,
circiter ferias D. Magdalene) omnes è fratre,
JOANNE LOTICHIO, Nepotes, majori cum in-
spectione, curâ, liberalioribusq; impensis,
sumptibusq; , præcipuè sibi educandos, imò
adoptandos, unicè esse, existimavit.

A quibus NEPOTIBUS illis suis, postmo-
dum, multiplicis ob virtutis, eruditionisque,
famam, longè, lateq; inclarescentibus, præci-
puè

puè verò P. LOTICHIO SECUNDO, & CHRISTIANO, natu majoribus, tantum decus, tantumq; ornamentum, ipse *Patruus, Abbas*, unà tota cum *Patria*, imò universâ ferè *Germania*, consecutus est, ut non tantum deponitum illud communibus in literis, & Artibus, nostri illi cum fœnore exsolverint, verum eundem *Patruum* suum, veriùs *Patrem*, æternis *scriptorum, & Carminum* monumentis (quod auro, atque ære perennius omni) posteritati consecrârint.

Quantum verò jam ad Inaugurationem, vel (sicut loquuntur) *Ordinationem* superiorum, aliorumq; *Ecclesie Ministrorum* (quibus ab ineunte ætate, ipsisq; crepundiis, victum, amictum, libellorum itemq; suppellectilem, aliisque necessaria, munificâ, atque liberali, manu subministravit) attinet, meritò censuit LOTI-
 CHIUS ABBAS, tam ardui muneris prerogativam tam levi brachio neutiquam aut prostituentiam, aut cuivis popularis *Ecclesie ministro* committendam, sed solennibus eam, & usitatis in *Ecclesia* ceremoniis, ritè peragendam, esse. Neq; verò ipse sibi facile eam potestatem, tamen si *Prælul & Abbas* foret, arripuit, utpotè quæ tùm *Episcopis* deberetur: nisi locus, persona, necessitas, tùm dignitas regiminis & *presulatus* sui, requirerent aliud. Ac licet idem ex *presulari* autoritate jus, ut appellant, *Patronatus plenarium* haberet: quod est, in locis hinc-indè compluribus *Ministros Ecclesie*

clesiæ delectu probare, itemq; vocare, atq; constituere; (qui labor cerè pluris est, quàm ministros duntaxat approbare, & ordinare) nihilominus eandem approbationem, & ordinationem Episcopo lubens concessit. In primis autem sequentia sibi omni operâ in Ecclesia CHRISTI expedienda, & constituenda, esse, requirente illud autoritate, & regimine Ecclesiastico suo, semper piè arbitratus est:

I. Primùm omnium, veram, solidam, æternam, immutabilemq;, Doctrinam, in qua unicus, & limpidissimus, veræ Religionis fons exuberat, promissionis itemq; in Paradiso, porrôq; Patribus, factæ nucleus, unâ cum ineffabili DEI erga humanum genus commiseratione, ab initio Mundi post Lapsum Primor. Parentum, primitus patefacta, consistit, confiteatur, asserat, doceat, & omni deniq; operâ & conatu propagare studeat.

II. Deindè, purum Sacramentorum usum, & dispensationem, sicut ea ipsa, a DOMINO, & SERVATORE nostro, ipsomet instituta sunt, fidelibus fideliter distribuat, & communicet.

III. Tertio, Christiani cœtus, cujus ipse sit Episcopus, tanquam Ovicularum sibi commissarum, preces, & querelas, libenter audiat; eisq; in quibuscunque occasionibus, quantum ejus quidem possibile, & consilio, & auxilio, id est, operâ & reipsâ, subveniat.

IV. Quarto, Peccatores resipiscentes, post præmissam absolutionem, ceu vocant, in Ecclesiam CHRISTI

STI recipiat; Refractarios autem, & pœnitentiam non operantes, liget, atq; excommunicet.

V. Quintò, eò imprimis datâ omni operâ collinet, quò suo tempore omnia in Ecclesia ordine, concinnè, atq; harmonicè, peragantur, utq; singula, quæ Præcepta DEI quovis pacto promovere sustinent, ad novæ velut, & congruæ, discipline, normam revocentur.

VI. Sextò, ut contrâ articulum isthuncce: *Cre- do S. Ecclesiam Catholicam*: nihil quicquam unquam perloquatur, doceat, scribatve, prout ab Adversariis temerè, & falsò, tanquam, contrâ prædictum Articulum, reus deliquisset, ipsi objectum fuerat: Quem, tantùm abest, ut ullo verbo, nedùm factò, infringere unquam in mentem illi venerit, ut magis eundem, in quo alioquin consolationem haud vulgarem inesse nullus ignorabat, impugnare haud temerè præsumpserit.

Quam mentem suam, super Articulo illo, consolationis Christianæ plenissimo, peculiari aliquo, à se in lucem emisso, Apologetico, contrâ latratûs multorum, tueri haudquaquam frigidè, sibi proposuerat.

Tantarum ergò nunc, quod superest, & multarum aliarum, ex parte suprâ commemoratarum, elegantissimarum, virtutum choro, imprimis solidâ Christianâ Pietate, cùm undiquaq; ad exemplum, fulgentissimus esset LOTICHIUS ABBAS, nemini facilè mirum videri porrò poterit, sicubi eundem deinceps Monasterium, & Ecclesias suas; introductâ verâ, & antiquâ Pietate, puro, & defecato Religionis, Sacra-

D 3

mento-

mentorūq; cultu, ab obscuris humanarum *Tra-*
ditionum quisquiliis, atque œcumenicis errori-
 bus, repurgâsse, indēq; *Reformatione* condignâ
 illustrâsse, è probatis *Autorum* monumentis, i-
 mō ipsi*s Historiis*, & *Archivis*, probemus, inque
 medium proferamus. Quod quidem sequen-
 ti viâ liquidum fore, arbitramur hoc pacto:
 sicut sequitur:

Anno M. D. XXXIV., P. LOTICHIVS, Eccle-
 siæ, & Monasterii, Solitariensis, divinâ bonitate
 ABBAS (postquâ ad prædicta dignitatis fastigium as-
 scendisset) Enneoboli, Aliorumq; hortatu, Cænobii
 sui *Reformationem* sine morâ confestim tum incho-
 asset, nisi inprimis ab Episcopo Herbipolensi, Cœ-
 nobii illius (ceū vocant) Ordinatio, nec non & ali-
 is, sibi non parū obstantibus, aliquamdiu fuisset impe-
 ditus, quoad eam tandem masculè, ac cordatè, fuit ag-
 gressus.

Sub idem verò tempus pastores, sub Illustri Comitum
 Hanovico-Müntzenbergensium ditione, inprimis autem
 Enneobolus ille, qui Hanoviae Evangelica spargebat,
 de eadem Ecclesiarum suarum *Reformatione* sus-
 scipiendâ, seriō cogitârunt, præsertim cū illis antesi-
 gnanus ABBAS P. LOTICHIVS, laudabili (pro-
 ut è sequentibus haud difficulter patebit) præ-
 iret exemplo.

Etenim Anno M. D. XLII., mense Septembri, En-
 neobolus, habitâ Hanoviae concione, accerrimè Mis-
 sam Pontificiam perstrinxit: quam, ceū nimis rigi-
 dam

dam, postquam **LOTICHIVS** Abbas, istâc fortè
 tûm transiens, in quantum reprehendisset, graviter ille
 se, suamq; doctrinam, contra hunc scripto-tenus com-
 munivit. Id quod scriptum, accedentibus pluribus ejus-
 dem Enneoboli, inprimis etiam Joannis Saliceti,
 Eystadiani, Solitarii cum Abbate (prout suprâ rela-
 tum) tum viventis, nec non Aliorum, cohortationibus:
 Abbatem tandem permovit eò, ut Cœnobii illius
 sui, nec non diœceseos universe, ad id pertinentis, (ha-
 buit enim **ABBAS** Solitariensis aliquot nume-
 ro Nobiles feudatarios, & Vasallos, insuper) Re-
 formationem audacter, Anno M. D. XLIII., susci-
 peret: sicut, inter alios, Clariss. Vir, Abrah. Bucholce-
 rus, in Indice Chronologico, idem publicè hisce verbis con-
 testatur, ubi itâ habet: Anno M. D. XLIII., **PETRVS**
LOTICHIVS, Abbas Solitariensis, Religionem Ponti-
 ficiam mutat in Lutheranam, seq; commendat patroci-
 nio Comitum Hanovia.

Quam simulatq; Reformationem **ABB.**
LOTICHIVS, non minús piâ, quàm eruditâ, eâq;
 Latinè conscriptâ, ad Abbatem Fuldensem Epi-
 stolâ Apologeticâ (sicut, ex Archivo erutam, in-
 frâ in lucem producimus) tutatus est: fuitq;
 illa tantum non Enneobolo (utpote qui **LOTI-**
CHIO, in promovendo puræ Religionis negotio cor-
 darum illum candorè summoperè gratulatus fuit) mul-
 tis nominibus exoptatissima: verum etiam à Joanne
 Gassio, pastore tûm Steinaviensi, viro doctissimo, &
 plurimæ lectionis, valdè approbata: sicut elegantissimæ

ipsius Gassii ad Abbatem literæ, Nonis Augusti, Anno M. D. XLIII. exarata, apprimè testatum fecerunt.

In recens itaq; abs Abb. LOTICHIO, & primitus, apertam tum Ecclesiam, tum Scholam, Solitariensem, Marpurgo, (quò tanquàm ad bonarum Artium mercaturam, Abbas LOTICHIVS ingenuos aliquot adolescentes, & inter illos imprimis P. LOTICHIVM illum Secundum, è fratre Nepotem, qui postea in Medicum, & Poëtam, evasit longè celeberrimum, ablegaverat,) evocatus est Theobaldus Thamerus, SS. Theologia ibidem tum temporis Professor: qui lubens etiam honestæ illi petitioni locum dedisset illicò, nisi à Principe, & Academia, retentus potius fuisset.

Porrò eâ tempestate LOTICHIVS Abb., unâ cum Enneobolo, plurimùm detulit Matthiæ Limpergio, tum temporis Francofurtensium ad Mœnum pastor: cujus etiam domesticæ Institutioni Theologiæ Studiosos commisit nonnullos, rectè omninò, non nisi peculiarem hoc in Religionis negocio docentium habendum esse delectum, persuasus: prout ad LOTICHIV Meandem in sententiam perscripsit Enneobolus, IX. Kal. April:, M. D. XLVI.

Anno M. D. XLVII., Enneobolo, in Religionis causa, adjunctus fuit Bernhardus Mellemannus, etate quidem juvenis, vir verò provectæ eruditionis, Abbatis LOTICHII discipulus, idemq; puriori Religioni addictus. Qui (posteaquam CAROLUS V. Imperator Interimisticum illud, ceu vocant, Syntagma,
Anno,

Anno M. D. XLVIII., per omnes Germani Imperii fines Ecclesiis amplectendum, per peculiare etiam missos caduceatores, indixisset) eodem Anno, mense Augusto, perscripta ad LOTICHIVM, quâ Interim illud confutat, eleganti Epistolâ, Abbatem, ad constantiam in agnita Evangelii veritate, exhortatur, ac mactè esse jubet. Idem, mense Octobri, cum Abbas, ob negotium, & Turbas Interimisticas, Herbipolim vocaretur, sedulo facit, atq; omnibus modis constantia, fortitudinisque Evangelicæ, admonet. Similiter quoq; mense Novembri, ejusdem Anni, ab Enneobolo, per literas ejusdem planè argumenti, Solitariam emissas, factum est, quibus interjectis passim efficacissimis, suavissimisq; consolationum optimarum flosculis, Abbatem, ejusq; cohortem, ne ullis Superiorum vel mandatis, vel interminationibus, sese, ab Evangelii puritate, inflecti, aut seduci, patiatur, demissè rogat, atq; obtestatur.

Anno, M. D. XLIX., in Epiphaniis demùm, Pastores superioris Hanovici Comitatus, præeunte LOTICHIO, facemq; velut præferente, ad mandatum Casareum, super amplectendo Interimistico Axio- mate, cordatè respondent: Sese, illasâ videl. conscientia, haudquaquam illud præstare posse, malle verò potiùs, modò honestè & cum gratia, dimittantur, exindè omnes emigrare.

Interim, mense Januario, Lotichio Enneobolus (qui postea Hanoviæ Anno M. D. LII., XXIIIX. Julii, die mensum obiit) & Mellemannus, super constantiâ laudabili, in Turbis illis Interimisticis tum præ-

sente, & cordm declaratâ, majorem in modum scriptis congratulantur, adhortati, ita ut deinceps animo masculo, atq; alacri, pergeret.

Sed, quæ fuerit *Aliorum* virorum doctissimo- rum, super Abbate *LOTICHIO*, præcipuè ve- rò, ejusdem beneficio, recens apertâ, *Ecclesia*, & *Schola*, sententia, aut judicium, vel ex unius atq; unici *Andr. Hyperii*, (ut communem tum *Præ- ceptorem* illum, *Philip. Melanctonem*, qui *LOTI- CHIUM* Abb. non secus ac communem aliquem etiam *Studiosorum Patronum*, coluit, ejusdemq; sæpenumerò *Hospitio*, & convictu, benignè ex- ceptus fuit, & alia *Germania* illo tempore lumi- na, prætereamus) *SS. Theol. D.*, & in *Acad. Mar- purgensi Professoris*, *Epistolâ dedicatoriâ*, quam (pro- ut alibi etiam allegatum est) *Libris, de Ratione stu- dii Theologici*, præfixam, eidem *LOTICHIO*, An- no, *M. D. LV I.*, mense *Martio*, inscripsit: abundè, atque ad oculum, patere poterit; ubi, inter cæ- tera, illum sic eleganter commendavit:

Quum exploratum habeam, Reverende Pater, Te, ut Pietate, ita Doctrina quoq; excellere: minimè dubito, quin de omni studiorum genere, quo Pietas, modò promoveri utcumq; queat, magnificè sentias semper: neq; id solùm, verum etiam omnibus viribus, omni- busq; quod ajunt, copiis ad eadem studia evehenda, illu- strandaq; enitaris. Ac sunt sanè plura argumenta, in conspectu posita, quæ, ita esse, ut persuasum habeamus, efficiunt. Primùm enim Solitariis, ubi magna cum
laude

laude multos annos praes, Scholam non modicis insti-
 tuisti sumptibus, in qua delecta juventus elementis do-
 ctrinae, religionis, & bonarum literarum, summâ opti-
 morum praceptorum fide, ac diligentia, ad omne officii
 munus informatur. Hac enim re, quamvis per se lau-
 datissimâ, non contentus, plures Adolescentes (quo-
 rum nonnullos novi, liberali planè ingenio expectatio-
 nem sui egregiam concitantes) jam longo tempore, & li-
 beraliter, in Publicis Scholis alis, & Theologiae
 omnes sedulam dare jubes operam, ad Ecclesiarum gu-
 bernationem, quamprimum erit opportunum, promo-
 vendos. Iam verò populo, tibi consredito, Mystera Ev-
 angelii J H E S U C H R I S T I in Ecclesia accurate
 ipse tradis, & inculcas, nullum, sicut Apostolus loquitur,
 defugiens laborem, odia, pericula, quò minus veritatem,
 divinius revelatam, patefacias. Adhac erga quoscunq;
 Pauperes quantâ sis humanitate, quàm benignè, hila-
 titerq; sublevandis ipsorum necessitatibus opes imperti-
 as Ecclesiae, (quae imprimis ad Ministros verbi, &
 Pauperes alendos, fovendosq;, sunt à Majoribus, jux-
 tâ Apostolorum doctrinam, collata) norunt in vicini-
 ribus & confiniis habitantes universi, norunt etiam pro-
 cul disjuncti: quorum alii expertos se profiteantur, ad a-
 liorum verò aures de tuis virtutibus (ut latere benefacta
 non possunt) quaedam sunt fando perlata. Optimo au-
 tem jure de præclaris hisce tuis factis (nam reliqua, non
 inferiora, taceo: quandoquidem quavis Egregia Virtus
 plures semper habere solet comites: sicut neq; notabile ul-
 lû vitiû consistit solûm) plura à me diceretur, eadèmq;
 sicut

sicut par est, predicarem: sed in presenti certis de causis
 pratermitto. Vnum tamen illud verè dicam: vehemen-
 ter scil. optare me, quin etiam à DEO, Patre cœlesti,
 frequentissimè precari, ut Orbis Christianus quam-
 plurimos tui similes, non dico Ecclesiarum Antisti-
 tes tantùm, sed Principes viros, & Optimates, ha-
 beat: qui in promovenda cœlesti doctrina Te æquare, i-
 mò superare, pro suâ facultate, omni animi contentione
 elaborent. Certum namq; est, si id contingeret, longè
 meliùs tam Ecclesias, quàm Respublicas, ordinatas
 propediem cerneremus, atq; omnibus pariter rebus hu-
 manis feliciùs, quàm hactenùs, consultum foret. Paucis
 multa complector: nec dubium est, quin cordati, æquiq;
 existimatores mecum idem sentiant, atq; consilium, si-
 ve exemplum, tuum, universis sinceræ Religionis a-
 mantibus, præsertim, qui in Ecclesia, & Republ.,
 sunt cum potestate, amplectendum, sequendumq; esse,
 opinentur: si modò Ecclesias salvas habere, ac Reli-
 gionem retinere incolumem, desideramus. Etenim
 marcescat, sensimq; extinguatur, Religio, ac Barba-
 ries sequatur plusquàm Scythica, necesse est, ubi sacra-
 rum studia literarum à nullis promoventur, vel exco-
 luntur. Quùm igitur, Reverende PATER, pro eximia
 tuâ Pietate, & excellenti Eruditione, Studiorum
 Sacrorum semper visus sis patrociniùm cupidè susci-
 pere: & quo pacto ceteri quoq;, qui potentiâ, atq;
 autoritate valent, idem facere cùm possint, tùm pro
 officio debeant, unus luculenter, & quasi signo sublato, o-
 stendas: ratus sum profectò, me operæ facere pretium, si
 conte-

contestari cupiens, quantoperè mihi institutum tuum
 probetur, atq; bonis omnibus probandum aptumem, Li-
 bros hos, de rectè formando Theologiae Studio, ad te
 mitterem, tuoq; nomini dedicarem. Quos gratos, acce-
 ptosq; fore confido; non tam, quòd sancto proposito tuo,
 de illustrandâ doctrinâ Religionis & vera Pietate
 propagandâ, videntur accommodi: quàm quòd bonæ ex-
 pectationis Adolescentibus, qui palæstram Theologi-
 cam ingressi, ad palmam felici cursu anhelant, suspi-
 rantq;, in primis verò his, quos benignè in Scholis fo-
 ves, atq; Theologiae cupis vacare, momentum aliquod
 ad proficiendum sunt, nisi vehementer fallor, allatu-
 ri. &c.

Posteaquàm ergò **L O T T I C H I U S** Abbas e-
 gregiâ in primis Pietate, & præclaris Virtutibus
 compluribus aliis (quemadmodum excellens
 quæq; Virtus rarò consuevit esse unica: sicut pulcrè
 edisserit superior **H Y P E R I I** Epistola) instructis-
 simus esset, à multis etiam, ob Religionis Refor-
 matae, itemq; Scholæ, instaurationem, bonis vi-
 ris, tanquam singulare quoddam Pietatis, Eru-
 ditionis, Benignitatis, Liberalitatisq;, Exemplum, in di-
 es magis, magisq; coleretur, suspicereturq;: ex
 eorum numero, nonnullis haud frustra in mē-
 tem venit, **L O T T I C H I O**, utiq;, qui omni Chri-
 stianâ Virtute emineret plurimum, unicè id por-
 rò persuadere, ut, reliquis Virtutibus suis egre-
 giis illum ceu colophóna adjiciens, ad Con-
 jugii insuper solenne **Sacrum** transiret, certis,
 pluri-

plurimos eundem pio illo suo, & Christiano, Ex-
 emplo, è cœlibum Clericorum agmine, ad sacrum
 illud maritale, divinitus institutum, permotu-
 rum, pertracturumq; ; A quo quidem ingenuo
 proposito quamvis Pius ABBAS ipse non lon-
 gè abfuerit, sicut ex aliis ejus scriptis cognovi-
 mus, nihilo - secius tamen causas alias, quas
 ob minus id ipsum in effectum perduceret, vi-
 sus est habuisse gravissimas. Quas quidem fal-
 lor? an sequenti Epistolâ, ea de re, consilii caus-
 sâ, ad Reverendum Virum, Matthiam Limpergi-
 um, Ecclesia Mœno-Francofurtensis pastorem prima-
 rium, amicam integerrimum, emissâ, Anno
 M. D. XLVI., Dominicâ Judicâ, ex parte explicârit.
 Eccam autem illam talem!

*S. Quòd contrâ spem meam ad te nunc non venio,
 Matthia venerabilis! nullâ me levitate usum, putan-
 dum tibi est. Partim enim consilio, partim necessitate
 rerum, & negotiorum, coactus, detentus sum, sperans,
 me post Férias Paschatos te magis à distractione cura-
 rum liberatum, quàm Nundinarum tempore fieri so-
 let, aditurum. Interim Hætenus, Diaconus, quod
 nostrâ referre puto, tecum componet. Iam verò audi co-
 gitaciones meas! Quidam homines, non mali, persuade-
 re mihi conantur Conjugium, divinâ legē sancitum:
 non, quòd à prohibitis libidinibus metuendum mihi cen-
 seant, sed, quòd Exemplo hoc meo convincere debeam
 diabolicam, & iniquissimam, persuasionem, qua qui-
 dam non putant licere, & fieri posse, Abbatem; aut
 Præpo-*

Præpositum, simul esse Conjugem, & Ministrum
 verbi, & temporalium (ut vocant) bonorum dispensa-
 torem, patrem familiâs: cùm illi ipsi palàm fornicarii,
 & adulteri, ministerium verbi contemnant, bona Ec-
 clesiæ turpissimè consumant. Hoc etiam timendum
 dicunt persuasores mei, cùm passim videamus Præla-
 turas everti, quòd harum Prælati periculoso cœlibatui
 se committere recusant, neq; licentiâ Fornicatorum uti
 velint, ob id repudiare conditionem Prælaturæ, vitam
 liberiores eligere, magistratui provincie blandiri, &
 adulari, ut illius suffragio partem bonorum Cœnobii
 ad se transferant, conjugem, & liberis potiuntur, & ita à
 tota administratione tam verbi, quàm rerum, despera-
 re. Quid damni inde Scholis, & Ministeriis Verbi
 conservandis, pro manarit, multis in locis deploravi. Cæ-
 terùm, mihi tot sudoribus Ecclesiam Solitariensem
 rectè benèq; cupienti constitutam, dubitandum esse, an
 posteri eandem viam ingressuri sint, cùm, ut dictum,
 Cœlibatus periculosus, & magnæ dexteritatis sit.
 Prælulem, tametsi non magnum, uxorem ducere, &
 ab officio non cessare. Adhæc, affirmant etiam consul-
 tores illi mei, se persuasos esse, mihi, uxori juncto, nihil di-
 ligentia, fidei, & studii, quantum in me sit, in tota meæ
 Administratione decessurum esse, quàm antea continen-
 ti fuisset, meq; hoc Exemplo prodesse Posteris, & nu-
 pturos hanc meam moderationem facilius amplecti,
 quàm continentis mores imitari. Hactenus illi. Ego
 verò mallem, respondi, mori, quàm Solitariam meam
 illis bonis, quibus Ecclesiæ Christi Ministeria consti-
 tuuntur,

ruuntur, & foventur, meo privato commodo defraudare. Namq; vix lustrum præterit, ex quo aliquot aureorum millia, pro exstruendâ Bibliotheca, informandis Juvenibus, & constituendis Verbi Ministris, numeravi. Quodsi jam in tantum exhausto thesauro, meâ nubendi importunitate, risui, & periculo me exponerem, esset obtreçtationi fenestra aperta. Tametsi verò Sathanam potentiozem factum, propter Nuptiarum interdictam honestatem, esse sciam (qui ipse ejus prohibitionis doctor est) tamen statuo, non omnia expedire, quæ licent: & ne (ut quidam calumniantur) resuscitatam Evangelii Domini nostri JESU CHRISTI doctrinam propterea profiteri videamur, ut nostris affectibus inserviendi sit libera nobis facultas. Illud tamen semper dico, quæ DEVS sanxit, & verbo suo confirmavit, illa esse honorabilia, & immaculata, nemo, nisi Calumniator, negare audet. Calumniatoris verò confusio vitanda est, si nos omnes non sumus. Iam si vestram sententiam approbandam mihi judicaveritis, Date uxorem, quæ, ut consors est hæreditatis vitæ futuræ, ita socia sit bonorum conjugii, & non tam mala, ut per illam cogar deesse officio meo! His auditis, aliquot dies deliberandi spatium petière: quod facile impetrârunt. Iam tu, Matthia Limpergi, iis consultor accedas, & quid tibi de his videatur, amicè, & candidè, ut soles, rescribe, Vale! Solitariis, ut supra.

Ex præmissa itaq; Epistola, clarissimum, evidentissimumq; , prout arbitramur, evadit,

LO-

LOTICHIVM non temerè aliquid , tametsi id benè licitum esset, quod fortè confusionem, aut in animis hominum scrupulum , suspicionemq; excitare potuisset , suscipere , nedùm (quod in primis multâ laude condignum) publica *Ecclesiarum*, & *Scholæ* ministeria privato suo commodo (sicut ipse loquitur) defraudare, voluisse.

Atq; isthæc ferè, quæ pro cognoscendo *Vita* *P. LOTICHII* Abbatis, viri facilè incomparabilis, curriculo, ex veteribus *Monumentis*, atq; *Epistolis*, iisq; ex parte velut laceris hinc-indè disjectis naufragii tabulis, præsertim verò ipsiusmet *Autographis*, & *Archivis* aliis, eruere potuimus, in præsentiarum sunt.

Quem ergò vir antiquæ *Virtutis*, in primis solidæ *Pietatis*, & *Fidei*, *P. LOTICHIVS* Abbas, in tota illa honestissima, tam multa cum probitate, quàm eleganti virtute, spectata, *Vita* sua, à teneris indè usq; annis, ex intimis animi penetralibus, toto corde, totis viribus, piè, sedulò, devotè, atq; unicè, veneratus fuerat *DEUM PATREM*, *OPT. MAX.*, per unigenitum *FILIUM* suum, *D. N. JESUM CHRISTUM*, unà cum *SS. SPIRITU*, in *TRINITATE* gloriosè regnantem, de cujus itemque *Gratia*, *Promissione*, & *Misericordia*, tum patefactâ *Incarnatione*, *Redemptione*que, tum *Consolatione*, *Assistentiâ*, veræq; *Fidei*

E

in

in fidelium cordibus Excitatione, veram, sinceram, puramq; , & solidam, *Doctrinam* subdito, & commisso sibi, *Christiano* cœtui fideliter tradiderat, instillârat, atque inculcârat, in eodem is ipse *JEHOVA*, *DEO TRIN-UNO OPT. MAX.*, gloriosissimoq; , verâ fide, agnitione, ardentiq; invocatione, & spe consequendæ vitæ æternæ (cujus gustum etiam hisce in terris habuisse videri potest) piè, & unicè, nixus, tandem, cùm *Hanovia*, apud *Illustrem Comitem*, animi causâ, frangendi *Caniculares* igitur, subsisteret, placidè in *CHRISTO JESU*, *SERVATORE*, obdormiscens, beatam patrio cœlo animam reddidit, Anno *M. D. LXVII.*, *pridie D. Ioannis*, circâ exortum *Solis*, qui fuit *XXIII. Junii*, cùm in *Cœnobio* suo *Annis* integris *L.*, in præsulatu verò *ABBAS* vixisset, *XXXIII. Mensibus III.*, ætatis *LXV.*

Ejus corpus postridie Solitariam (prout refert in *Enchiridio* quodâ *CHRISTIANVS LOTICHIVS*, *Avus noster*) *curru transportatū est*, & *penes locum sepulture positam*, ubi per noctem stetit. *Die XXV. Junii*, *humatur corpus cum magna miseratione confluentis ex tota vicinia vulgi*, & *honoratur sepultura Elegio Concionis publicæ optimo per Nicolaum Steiniensem*. Deindè, *antè prandium jussi sumus convenire ad eligendum alterum Abbatem*: quamvis *prærogativa apud Episcopum mea erat*, cessi tamen *de meo loco, usus modestiâ*, & *primus Reverendo D. Pastori*

stori

stori, Sigfrido Hetteno, Affini meo, (cujus mentio facta supra) dedi suffragium. Deinde ceteri, nihil disceptantes, unanimiter concludunt, secuti meum Votum, ut prefatus Sigfridus sit Abbas. Cessi volens, quàm uti meo jure voluissem. Hæc ille.

Inscriptio Cenotaphii, cum Effigie marmorea, ad vivum representata,

R. LOTICHII, ABBATIS Solitariensis,

**Pos. SOLITARIIS, Anno M. D. LXXI.,
in Basilica COENOBII SOLITARIENSIS:**

E 2

RE

REVERENDO DOMINO,
 PETRO LOTICHIO,
 ABBATI HUIJUS ECCLE-
 SIAE, VIRO PIETATE, ET BE-
 NIGNITATE ERGA OMNES PRÆ-
 STANTI, MORTUO IN CHRISTO,
 ANNO SALUTIS, M. D. LXVII., IX. KAL.
 JULII, ÆTATIS SUÆ, LXV., CUM EI-
 DEM PRÆFUISSET ANNOS XXXIII.
 ET MENSES III.

H. M. P. S.

Infrà Imaginem.

Imaginem LOTICHII
Notat hic lapis clarissimi:
Qui reddidisset purissima
Hac a de primus dogmata:
Tandem piè clausit suum
Vitæ peractæ terminum.

EPI.

EPITAPHIUM

Reverendi, & PII PATRIS ac DOMINI,
 PETRI LOTICHII, ABBA-
 TIS SOLITARIENSIS, qui IX.
 Calendas Julii, placidè in CHRISTO
 obdormivit Hanoviæ:

Scriptum

A' M. Balthafare Strubio, Ortenbergensi, vi-
 ro trium linguarum peritissimo, Scholæ
 Hanoviensis Archidida-
 scalo:

PETRV Seram dictus, cum me tuus, ô petra, Chri-
 Tingebat sacro fonte, lacuq₃, cruor. ste,
 Vixi, te fultus semper, fidensq₃, salutis
 Lator, & æternum vivo, DEV Mq₃ colo.
 Templâ Patris teneo prælustris lumine cœli,
 CHRISTE, tuo merito gratia magna tibi.
 Vnus tu fueras mihi Rex, tu Christus Jesus,
 Abba hæc ob gnatum munera diva dabas.
 Solius datur hic letari, & cumbere mensis:
 Hic ego cœlicolûm pace, poloq₃, fruor.

PERIPHRAISIS.

Occulti Mysterii, literis, & syllabis compre-
 hensa, ac sequenti Carmine mon-
 strata per

M. Conradum Clessium:

E 3

Sylla-

Syllaba prima nota prima sit juncta secundi
Carminis, huic tunc mox ultima penè comes.

Primaq; postrema versûs addenda sequentis
Littera: Sic quartus, quintus & ordo tibi:

Sexto sic peragas, aliter nec septimus esto,
Deindè duæ frontis, tres quoq; finis eant.

Principii, medii, finis quoq; stringito binas
Syllabicas voces: En! tibi nomen adest.

Infima postremó dabit annum linea: sub quo
A B B A S, & nostri carminis Autor, obit.

In eandem, ceu vivam, ma-
ginem,

**PETRI LOTICHII, ABBATIS,
Statuâ expressam in Ecclesia Cœnobii
Solitariensis:**

b. m. Propatruî sui:

JO. PETRUS LOTICHIUS,

Anno, M. D. C. X. V.

Ore, manuq; potens, doctrinâ, & pectore Petrus
Sic sacer Antistes conspiciendus erat:

Cujus opem multis Ecclesia fracta procellis
Sensit, ut & largas in benefacta manûs.

Acer erat purum **CHRISTI** introducere cultum,
Atq; juvare sacre Religionis opus.

Hospitium doctis cessit quoq; dulce Camænis,
A quibus hoc clarum tempore nomen habet.

Atra licet corpus rapuit Mors: inclyta tanti
Extabunt semper sed Monumenta Viri.

F I N I S.

HI-

HISTORIOLA

ECCLESIAE

*In Illustri Hano-Müntzenbergico Comitatu:
In primis verò,*

COENOBIO SOLI-

TARIENSI,

EVANGELII luce primùm illustra-
tæ, dehinc autem, à Superstitionum, Erro-
rumq;, tenebris, successivè, magis magisq;
vindicatæ:

*Ex Archivo Hano Müntzenbergico, Su-
periorum concessu, collecta, & in Epitomen
hanc conjecta, Anno
M. DC. XVI.*

à

Georgio Fabricio, Solitariensi, Eccles.
Windeccensis Pastore, vicinarumq;
Inspectore.

B 4

ANNO

A NNO 1523. Hanovici Regiminis habenas cepit Philippus (istius Philippi, qui cum Philippus ejus Patruus & Tutor, Anno 1468. Comitatum Hanovicum ex parte diviserat, exindeq; primus Hanovicorum Comitum ἀξιωμα & titulum Domini in Lichtenberg, adeptus erat, Nepos) REINHARDI ejus nominis VII., ex CATHARINA Schwartzenburgica filius primogenitus. Huic Carolus V. Imper. Edictum adversus LUTHERI Libros & Doctrinam, Anno 1521. antea publicatum Moguntiae, per cursorem suum, Anno 1524. ipso die Iohan. Baptista, insinuari fecit: Eundemque sequenti Anno 1525., d. XXIII. Martii, ab erroreâ (sic tum adpellatâ) illâ, in Imperio Romano gliscente passim, doctrinâ, serio dehortatus fuit: & ad Commissarios suos, Guilielmum, Comitem Nassovicum, &c. tum Eberhardum quoq; Comitem à Königstein &c. audiendos eatenus mandavit.

Sub id tempus, (siquidem de Anno non omnino constat) eodemq; sub illo Comite M. Adolphus Arbogastus, Alsatus, primus EVANGELII, tum renascētis, præco Hanovia, à Capitone, & Bucerō, Argentinâ eō missus, his ipsis Συμφωνος esse cœpit. Isti verò laborum ac molestiarum soli vix diutiùs sustinendarum sufficienti, socius & collega PHILIPPUS ENNEOBOLUS, Laudenburgō à prædicto Generoso Comite, vocatus Hanoviam, Anno 1528. postea fuit adjunctus: qui sanè

sanè fidum in EVANGELII propagatione Col-
legam, & adversus *Evangelicæ doctrinæ*, tùm ini-
bidem adhuc subsistentes, hostes, animosum
De exercitiis, quâ concinando, quâ conscri-
bendis etiam *Theologicis Tractatibus*, (ut *Cateche-
sis* in primis ejus approbat) illi se præbuit: in eo-
que maximè elaboravit, ut *Pastores* ejusce *Comi-
tatus*, & doctiores quoscunque alios, ad *Ev-
angelii* agnitionem ac professionem, protrahe-
ret; ut sequentia utiq; probabunt.

Anno 1529. d. 28. Martii, in quem tùm ipsa *Pa-
schalis* solennitas incidit, *Philippus* ille *Comes Ha-
novicus* immaturâ morte, Anno ætatis suæ XXIX.,
decessit: relinquens post se duos filios, *Philip-
pum* primogenitum & *Reinhardum*: quorum,
antequàm ille *Regiminis* habenas capesseret,
Tutores fuêre, (juxtâ *Matrem Iulianam Stolbergi-
cam*, quæ *Guilielmo*, *Comiti Nassovico*, postea nu-
psit) quorum patruus *Balthasar Hanovicus*, *Gui-
lielmus* ille *Nassovicus*, & *Reinhardus Solmensis*, &c.
Comites.

Intereâ, circâ *Religionem*, & *Ecclesiarum* in *Ha-
novico Comitatu* REFORMATIONEM, hæc talia
reperiuntur in *Archivo* dispersa, sed jam nunc
in ordinem hunc qualemcunque redacta: ni-
mirum:

Anno 1534. PETRVS LOTICHIVS, Ab-
bas Solitariensis, quùm primùm ad eam dignita-
tem fuisset evectus, *Enneboli* hortatu, *Cænobii*

sui reformationem illicò tùm occepisset : nisi ab *Episcopo Herbipolensi*, *Cænobii* (ut adpellant) istius *Ordinario*, nec non Aliis, ipsi valdè resistentibus, aliquamdiu fuisset impeditus, donec eam tandem, ut è sequentibus patebit, cordatè fuit adgressus.

Anno, 1535., mense *Octobri*, apud *LOTICHI-VM* *Abbatem*, *Enneobolus*, in suis ad eum literis, prædicat *LUTHERI*, de *Tigurinorum* cum sua, circà *S. Cænâ*, doctrinâ consensu, spem conceptam.

Anno 1539. *Evangelicus* quidam *Pastor*, *Iohannes Vlichius*, *Gelnhusanus*, *Rothemii*, quod oppidum imperio partim *Hanovico*, partim etiam *Königsteinensi*, tùm quidem fuit subiectum, at *Hanovico* jam nunc soli paret in universum, existit.

Anno 1542., Mense *Septembri*, *Enneobolus* gravissimam contra *Missam Pontificiam Hanoviae Concionem* habuit : quam, ut nimis duram, quùm *LOTICHIUS Abbas*, isthâc tùm transiens, aliquam tùm reprehendisset : acriter ille se, suamque doctrinam, adversùs hunc scripto tutatus fuit : quo significat, inter alia, *Generosis Tutoricus*, inprimis autem *Ministerio Dillenburgensi*, suas, de profligatione *Missæ, Conciones*, adeò non displicuisse, ut earum etiam *Exemplaria* conscripta expetierint. Id autem ipsum scriptum, juxtà plures ejusdem *Enneoboli*, nec non *Aliorum* (ut *Iohannis* inprimis *Saliceti Eystadiani*, *Solitaria* tùm

in *Cænobio* viventis, exindeq; *Windeciam* paulò post translati) cohortationes, *Abbatem* movè-re tandem, ut *Cænobii*, nec-non *Diocæseos* istius universæ, *Reformationem* Anno 1543. susciperet: Eandemq; piâ quâdam, & eleganti, *Epistolâ Apologeticâ*, ad *Fuldensem Abbatem*, *Latinè* scriptâ, & editâ, tueretur: quam etiam *Apologiam Enneobolus* vidit, adprobavit, & ipsi *LOTICHIO*, de pia isthac, ac cordata, sinceritate, in suspicendo, movendoq; *Religionis* negotio, maximo-perè gratulatus fuit: probavit eandem quoq; *Reformationem* *Iohannes Gassius*, pastor tùm *Steinaviensis*, vir doctissimus, & plurimæ lectionis: idq; elegantissimis suis literis, *Non. August. Anno* 1543. ad ipsum *LOTICHIVM* scriptis, contestatus fuit.

Eodem Anno, *Philippus Melancton* *Enneobolo* quendam, ad *Ministerium* promovendum, de de meliore nota commendavit: quem illicet hic *LOTICHIO* vicissim, ipso die *Iohan Baptista*.

Anno 1544., Abs *Abbate* *LOTICHIO*, in recens tùm institutam, & ab hoc ipso primitus apertam, *Scholam*, & *Ecclesiam Solitariensem*, vocatus est *Theobaldus Thamerus*, *Marpurgi* (qui tanquam ad bonarum *Artium* forum, seu *Panegyrim* aliquam, ille jam tùm adolescentes aliquot ingenuos, & in his *PETRVM* etiam *LOTICHIVM* illum, ex fratre *Nepotem* suum, qui postea *SECVNDVS*, ob ejusdem cum patria nomi-

nomi-

nominis communionem, agnominatus fuit, & in *Medicum* ac *Poëtam* omninò celeberrimū, evasit, ablegaverat) *S. Theologiae* tūm temporis *Professor*: qui libenter etiam sequuturus fuisset, nisi *Princeps*, & *Academia*, eum retinere maluissent.

Porro, *Enneobolus* ille, sicut & *Abbas Lotichius* ipse, tempestate eā multūm quoq; tribuerunt *Matthia Limpergio*, tūm *Pastori Francofurtensium*: cujus etiam fidei *Studiosos Theologiae* ritè informandos commiserunt. Delectum enim docentium in hoc *Evangelii* negotio habendum, rectè sunt arbitrati: prout ad *Lotichium* scribit *Enneobolus IX. Calend. April. Anno 1546.*

Anno 1547. Enneobolo collega fuit adjunctus *Bernhardus Mehlmannus*, juvenis adhūc tūm, sed eruditus vir, *Abbatis LOTICHII* (quem ad modum habetur in *Archivo*) *Discipulus*, & *reformatæ Religionis* addictus.

Anno 1548., Carolus V. Imperator, INTERIM illud (ut adpellant) *Dnn. Philippo*, & *Reinhardo Fratribus*, *Comitibus Hanovicis*, sub tutela etiam tunc agentibus, amplectendum, atque *Subditis* suis intimandum, per *Imperialem* (aliàs *Cameralem*) quendam internuncium, mittit: & si quæ mutatio prius irrepsit, eam illicet abrogandam mandat. Iste verò nuncius responsum indè non tulit aliud: quàm ad *Tutores* rem esse deferendam: id quod factum d. 19. *Augusti.*
Eo-

Eodem Mense, scribit ad Lotichium Mehlmannus, elegantem Epistolam: quâ simul & I N T E R I M illud refutat, & Abbatem confortat, ac hortatur ad constantiam in agnita E V A N G E L I I veritate.

Septembris d. XII. Ejusdem Anni, Senatus Gelnhusenus, Hanovicis, ut & antea Archipalatinatus Dynastis, scripto renunciat: Sanctionem illam Interimisticam, Electoralis Palatinatus Agendam (ita quidem adpellat) Ecclesiasticam, uti spes sibi jamtum facta sit, edendam brevi se expectaturum: & quicquid eatenus in Archipalatinatu, simul & Hanovico Comitatu, quibus utrobique se obstrictam agnoscat, obtineat, idiplum in Republ. se quoque suâ strenuè observaturum esse.

Porro, quidnam Philippus, Comes Hanovicus, ad Imperatoris, de suspiciendo, & exequendo, negotio illo Interimistico, mandatum responderit, in Archivo quidem non habetur: sed Imperatorie Majestatis rigidiusculæ literæ, d. 12. Octobris, post ad eundem illum datæ, volunt, ut expressius suam, istius negotii causâ, mentem declaret, & Pastoribus interea suis interdicit, ut contra nihil, vel concionando, vel scribendo, moliantur.

Quas Cæs. Majest. literas Reinhardus, Solmensis Comes, unus è Tutoribus, à Consiliariis Hanovicis sibi transmissas, ubi legisset, illicó sine adscitu, scituq; Nassovici Contutoris, rescripsit: Imperatorie
Volun-

voluntati subscribendum, atque *mōrem* gerendum, esse, nec quoquó concedendum, ut *Pupilli* sui, *Comites Hanovici*, duorum, aut trium, *Ministorum* prædicationibus, è suis exturbentur ditionibus.

Intereá *Mehlmannus* *Abbatem* *LOTICHIVM*, *Herbipolim*, istius *Interimistica* confusionis ergó, evocatum, *litteris*, eleganter, ac piè, d. 20. *Octobris*, scriptis, ad constantiam seduló cohortatur.

Diebus 1. 2. 5. 6. 7. 8. 10. *Novembr.*, ejusdem *Anni*, *Mandatum* *Cesareum*, *Interimisticum* illud negotium concernens, *Subditis* in utroq; *Comitatib; Hanovico*, successivè propositum, & ut ipsi non difficilè præstent obsequium, serió injunctum fuit.

Seorsim autem *Pastoribus*, quá *Urbanis*, quá *Paganis*, nonnullis, idem d. 5. *Novembris* tuit propositum: cui se statim, & absque mora morigeros exhibituros esse, professi sunt hi tales. &c.

Reliqui verò *Pastores* utriusq; *Comitatús*, quód publicatio illa *Intorimistica*, & præmissum de ea *Cesareum Edictum*, nec tūm ipsis innotuisset, & causam adcuratiore nihilominús consideratione dignam esse, judicarent, menstrui temporis dilationem demissè ac suppliciter expererunt: intereá se rem pensiculatiús æstimaturos, & ipsi *Ces. Majest.* animi sui mentem scripto declaraturos esse, sponponderunt: At enim
inter-

interstitium quatuordecim tantum dierum ipsis concessum fuit.

Die 19. Novembris, post Hannovicis Consiliariis Enneobolus suo, Symmistarumque suorum, non in e (qui nomina quoque sua singulatim ad- & subscripserunt) responsum sic satis prolixum exhibuit; quò de convitiis, Pontificiorum in ipsa Prostagmatis Interimistici publicatione Ministris Evangelicis, palam factis, conqueruntur primum, dehinc ad iudicium Eruditorum aliorum, imprimis autem Dillenburgensium Ministrorum, provocant: tum ad ipsum DEI verbum, & Augustanam huic conformem utique, Confessionem, se adstringunt: & obrestantur denique, secundum ipsum Generosum Comitem, Consiliarios etiam, ut in agnita EVANGELII veritate, quam in Communionem quoque, seu S. Cœnæ participatione, secum aliquoties antea professi publice fuerint, usque quaque persistant.

Nihilominus tamen, sequenti d. 20. Novembris, ad Imp. Majest. duriusculas illas literas Philippus Comes respondit: se Cesaream Constitutionem (sic quidem adpellat Confusionem illam Interimisticam) Subditis suis, quæ Spiritualibus, sic dictis, quæ Secularibus, actutum proposuisse, & cum interminatione pœnæ gravissimæ, secus agentibus, ad obedientiam, quam ipse quidem haud gravate sit præstiturus, eos adhortatum serio fuisse.

No-

Notandum tamen heïc, istud responsum, *Reinhardo, Solmensi Comiti*, (ut supra) acceptum esse ferendum: quî tum omnem movit lapidem, ut *Hanovicum Comitatum Papali jugo*, cui se per DEI gratiam subduxerat quadamtenus, iterum submitteret: in quem finem etiam *Iuniores Comites Ingolstadianæ Scholæ* prius commiserat: ut *Pontificæ nimirum doctrinæ* in ibidem ac ceremoniis adsuescerent, atque suis dein *Subditis* obtruderent.

Quo nihil territus *Enneobolus*, sequenti statim d. 21. *Illustri Comiti Philippo* supplicem obtulit libellum, quo *Evangelicorum* in eo *Comitatu Pastorum*, in primis autem, suam ipsius, quippe à *Generosæ Celsitudinis* ejus optimo *Parente*, jam ante *XXI. annos* è remotioribus inde locis accersiti, & benignissime semper habiti, spem ac fiduciam, in ipsius clementia, secundum DEUM, repositam, inter alia, deprædicat: & eam, uti benigne proporro foveat, demissè petit.

Die 23. *Novembris*, *Enneobolus Solitariam* emisit literas, quibus *Abbatem, & ejusce Fratres*, ad constantiam in *Evangelica Veritate*, nullis aut mandatis, aut minis *Superiorum*, quantumvis hominum, infringendam, interjectis passim suavissimis, ac efficacissimis consolationibus, demissè petit.

Post *Andrææ* festum, die *Sabbathi*, ex mandato *Cæsaris*, *ArchiEpiscopus Moguntinus*, ad *Philippum*,
Comi-

Comitem Hanovicum, scribit, ut eos, qui antiquum in *Religione* etiamúm sua obtinent, unicè protegat ac defendat: Novatores autem alios, ut ab incepto desistant, monitis, atque minis, severiter urgeat.

Dehinc ipso die *Innocentium*, *Nicolaus* etiam *Lotichius*, *Steinaviensis Ecclesiæ Pastor*, expostularum suum de *Interimistico Statuto* iudicium exhibuit: & apertè denunciavit, se non dimidium aliquod, sed integrum, *Evangelium*, adnunciaturum esse.

In *Epiphaniis* demùm *Anni 1549.*, *Pastores Superioris Comitatus* etiam reliqui, præeunte *Lotichio Abbate*, facemq; quasi præferente, ad *Mandatum*, de acceptando *Syntagmate Interimistico*, cordatè respondent, se nullatenùs id, illæscientiâ, posse facere: malle se potiùs indè, modò gratiosè dimittantur, omnes discedere: commemorantes insimul, & quæ doctrina suis in *Ecclesiis* eò usque tradita, & quæ *Ceremoniæ* fuerint usurpatæ.

Die 17. *Januarii*, *Abbati Lotichio Enneobolus*, & *Mehlmannus*, insimul scripto, de constantia, in turbis illis *Interimisticis* exhibitâ, gratulantur: & itá alacriter, fortiterq; uti pergat, piè admodum hortantur.

Die 27. *Iunii*, *Moguntinus* iterùm ad *Philippum Hanovicum* scribit: eumq; monet acriter, ut *Pontifici*, *Imperatori*, nec-non sibi, tanquàm *Ecclesia-*

rum

rum in Inferiori maximè Comitatu Hanovico Ordinario, obsequentem se præbeat, & ad Catholica Ecclesia Matris gremium quamprimùm se recipiat: Pastores etiam suos, Catholico more, aut ordinatos, aut unctos, siquidem aliàs Ecclesia obedientiam præstare, & illicitè contracta Matrimonia rescindere, tum Vxores etiam suas dimittere, velint, ad Sacrorum ordinum susceptionem adigat: Reliquis autem Subditis, non nisi sub utraq; specie communicare se velle, prætendentibus, modò sint Ecclesia Catholico-Romana in aliis addicti, persuadeat: se ex potestate, à Romano Pontifice sibi concessa, ad futurum usq; Concilium, eatenus esse dispensaturum, & id ipsum interea à ipsis haud gravatè cõcessurum.

Quid huic Moguntini monitioni Philippus Hanovicus reposuerit, in Archius non habetur: Idea saltèm adornandi, ac proporrò deducendi, Responsi alicujus, isthæc omnia disertè simul ac providè declinantis, adeoq; detestantis, Enneoboli manu delineata, visitur in ibidem.

Anno 1551., Generosus ille Philippus Hanovicus HELENAM, illustrissimi Principis, DN., JOHANNIS, Palatini Rheni, Bavariæq; Ducis, Comitis Spanheimensis & Simmerensis filiam, FRIDERICI III., Electoris Palatini, sororem (quorum Atavus fuerat RUDOLPHUS, Elector ille Palatinus, & Rex Romanorum: cujus etiam Neptis ex OTTONE, filio primogenito, MARGARETHA, Reinhardo, ejus

eius nominis VI., Comiti Hanovico, desponsata, exindeq; prognatus fuit ille PHILIPPUS, sub cuius auspicio Regiminis, Anno videlicet 1468., ut suprâ fuit initiô statim adnotatum, Hanovicus Comitatus quodammodo divulsus est, ut ejusce pars circiter quarta ad Domum jam Lichtenbergicam abierit) Matrimonio sibi copulavit, Heidelbergæ celebratis tum Nuptiis.

Anno 1552., Enneobolus ille, sæpè nominatus, d. 28. Julii, Hanoviae placidè obdormivit: cui in officio pastorali M. Nicolaus Krugius, Leisnicensis, è Saxonia eò vocatus, successit, qui ceremonias in Ecclesiis Saxonis usitatas, introduxit, sed non sine contradictione aliquam multorum mystarum.

Quæ M. Casparum Neferum, Administrum Ecclesiæ Hanoviensis, etiam indè tandem exturbârunt: ab officio nimirum Anno, 1554., d. 10. Maii, Philippi Comitis auctoritate, remouit: quòd in alterutram fortè partem inclinare nimis (siquidem ejusce remotionis causa non habetur in Archivo expressa) videretur.

Isti successit Christophorus Gôbelius, Anno 1555., qui suam, & Mehlmanni Collegæ moderationem, in isthoc Ceremoniali negotio tum adhibitam, allegat ipse, in Isagoge, seu commemoratione, administrati eatenus officii sui, Anno demum 1594. Consiliariis, & per hos ipsos Generosis Tutoribus Hanovicis, in primis autem Philippo, Hanovo-

Lichtenbergico, Comiti, Apologia tūm expetitæ, ne dicam, extortæ, loco oblatâ.

Intereâ, quæ fuerit in *Superiori Comitatu, Ecclesia* (præsertim illius *SOLITARIENSIS*) ratio, quæ facies, è *Clarissimi D. Hyperii, Marpurgensis Academia Professoris orthodoxi, Epistolâ dedicatoriâ, Libris, DE RATIONE STUDI THEOLOGICI, præfixa, & ABBATI LOTICHIO, Anno 1556. mense Martio inscriptâ, patet: ubi sic eum, inter alia, commendat:*

Quum exploratum habeam, R. P., Te, ut Pietate, itâ Doctrinâ quoq, excellere, minimè dubito, quin de omni Studiorum genere, quo pietas modò promoveri ut-tunq, queat, magnificè sentias semper: neq, id solùm: rerum etiam omnibus viribus, in omnibusq, quod ajunt, copiis, ad eadem studia evehenda, illustrandaq, enitaris. Ac sunt sanè plura argumenta, in conspectu posita, qua itâ esse ut persuasum habeamus, efficiunt. Primum n. Solitariis, ubi magna cum laude multos annos præes, Scholam non modicis instituisti sumptibus, in qua delecta juvenus elementis doctrinæ Religionis, & bonarum Literarum summâ optimorum Præceptorum fide ac diligentia, ad omne officii munus, informatur. Hac autem re, quamvis per se laudatissimâ, non contentus, plures Adolescentes (quorum nonnullos novi, liberali planè ingenio, & expectationem sui egregiè concitantes) jam longo tempore, & liberaliter, in Publicis Scholis alis, & Theologiæ omnes sedulam dare jubes operam, ad Ecclesiarum gubernationem, quam-
primùm

primūm erit opportunum, promovendos. Iam verò Populo, tibi concredito, Myſteria Evangelii JHE-
SU CHRISTI in Eccleſia adcuratè ipſe tradis, & in-
culcas, nullum, ſicut Apoſtolus loquitur, defugi-
ens laborem, odia, pericula, quò minùs veritatem, divi-
nitùs revelatam, patefacias.

Adhac, ergà quoscunq; Pauperes quantà ſis huma-
nitate, quàm benignè, hilariterq; ſublevandis ipſorum
neceſſitatibus Opes impertias Eccleſiæ (quæ in pri-
mis ad Miniſtros verbi, & pauperes alendos, fovendosq;
ſunt à Majoribus, juxtà Apoſtolorum doctrinam,
collatæ) norunt in vicinitatibus & confiniiſ habitantes
univerſi: norunt etiam procul diſjuncti: quorum alii ex-
pertos ſe profitentur: ad aliorum v. aures de tuis virtuti-
bus, ut latere benefacta non poſſunt, quedam ſunt fando
perlata. Optimo autem jure de præclaris hiſce tuis fa-
ctis (nam reliqua non inferiora, taceo: quandoquidem
quavis egregia virtus plures ſemper habere ſolet comites:
ſicut neq; notabile ullū vitiū conſiſtit ſolum) plura à me
dicerentur, eademq; prout par erat, prædicarem: ſed
in præſenti certis de cauſis prætermitto. Vnum tamen
illud verè dicam: vehementer ſcilicet optare me, quin
etiam à DEO, PATRE COELESTI, frequentiffimè
precari, ut Orbis Chriſtianus quamplurimos, tui ſimi-
les, non dico, Eccleſiarum Antifites tantūm, ſed Prin-
cipes quoq; Viros, & Optimates, habeat, qui in promo-
vendâ cœleſti doctrinâ Te æquare, immò ſuperare, pro
ſuâ facultate, omni animi contentione, elaborent. Cer-
tum namq; eſt, ſi id contingeret, longè meliùs tam Ec-

clesias, quàm Respublicas, ordinatas propedièm
 cerneremus: atq; omnibus pariter rebus humanis feli-
 ciùs, quàm hactenùs, consultùm foret. Paucis multa
 complector: nec dubium est, quin cordati, equiq; existi-
 matores mecum sentiant, atq; consiliùm, sive Exem-
 plum, Tuum, universis sinceræ Religionis aman-
 tibus, præsertim quî in Ecclesia, vel Republica, sunt cum
 potestate, amplectendum, sequendumq; esse, opinentur:
 si modò Ecclesias salvas habere, ac Religionem reti-
 nere incolumem desideramus. Etenim marcescat, sen-
 simq; extinguatur Religio, ac Barbaries sequatur
 plusquam Scythica, necesse est, ubi sacrarum Studia li-
 terarum à nullis promoventur, vel excoluntur. Quùm
 igitur, R. P., pro eximiâ tuâ Pietate, & excellenti E-
 ruditione. &c.

F I N I S.

Postscr. Hactenus, ex HISTORIOLA præ-
 fatâ, hæc LOTICHIUM, ABBATEM Solitari-
 ensem, aliubi concernentia, in gratiam Clariss.
 Dn. Doctoris, (LOTICHI) cognati mei honoran-
 di, describere jam nunc haud quaquâ sum gra-
 vatus. Cæterùm, Epistolarum, ab ipso L O T I-
 CHIO, & ad ipsum ab aliis conscriptarum, & in
 hoc Discursu saltèm obiter adnotatarû, Exempla-
 ria penes me quidem nulla sunt: at eorû tamen
 ex Archivo Hanovico ab ipsis DD. Consiliaris obti-
 neri forsitan aliqua posse, non diffido. Interim
 expecto Tetrastichorum Clariss. D. Cognati, pro-
 missum

missum exemplar: ac si *Poëmatum* ipsius etiam
unicum habere possim, precium utiq; Typo-
graphicum exhibitori perquam libenter exsol-
viturum esse me, polliceor hisce. *Windecca,*
Anno, 1625.

Georgius Fabricius
Solitariensis.



F 4 A D

A D

Reverendum & Illustrem

P R I N C I P E M,

D O M I N U M P H I L I P P U M,

A B B A T E M Ecclesiæ Fuldenfis, Divæ Augu-
stæ ArchiCancellarium, & per Germa-
niam Primatem &c.

D E

Quibusdam Articulis RELI-

G I O N I S:

S E N T E N T I A

P E T R I L O T I C H I I, A B B A T I S

Ecclesiæ Solitariensis:

Ad Galatas. v i:

*Quæ seminaverit Homo, eadem &
metet.*

M. D. XLII.

Sum-

Summè Reverendo in CHRISTO
 PRINCIPI, ac DOM.
 DOMINO PHILIPPO,
 ABBATI FULDENSI,
 Divæ Augustæ ArchiCancellario, &
 Primati &c.

Domino suo Clementi.

S. D.

CURTO ego, quum me ipsum, tum res me-
 as, *Ornatissime Princeps*, post DEUM, cordiũ
 perscrutatorem, omnibus bonis viris esse ma-
 nifestissimas, qui non solũ eruditè, sed et-
 iam sinceriter, & incorruptè, de rebus judica-
 re solent: Inprimis verò *Tuæ Reverendæ Celsitudi-
 ni* me totum agnoscendum præbeo. Quã ra-
 tione nuper attentaverim, periculosis his tem-
 poribus, *Ministerium* meum utcunq; reformare
 quosdam *Abusûs* tollere, meliora moliri, & id
 facere, quod in meo loco ad utilitatem præ-
 sentis *Ecclesiæ* faciendum, tot exemplis admo-
 nitus, censui. Jam *Tua Reverendæ Celsitudo* cogi-
 tationes, & conatûs meos, legere, & me con-
 trà improbos defendere, & in sui amorẽ sulci-
 pere, dignetur: Quam *Cælestis Pater* nobis diu
 incolumem conservet! Datum *Solitaria*. IX. Ju-
 lii. Anno Salutis, M. D. XLIII.

*Petrus Lotichius, Abbas in Cœnobio
 Solitariensi.*

15

Nisi

N I S I C H R I S T U S , æterni P A T R I S fili-
 us, & totius humani generis S A L V A T O R,
 ejusq; sancti *Propheta & Apostoli*, prætereà tot
 piorum *Hominum* *Exempla*, nobis satis præ-
 monstrassent, *Ecclesiam* D E I nunquam esse sine
 periculis, cruce, & adversariis, adeoq; ipsam
Ecclesiam maximè opus habere fidei custodiâ,
 bonis *Pastoribus*, verâq; doctrinâ, ut in medi-
 is periculis se consolari, & ex verbo D E I, con-
 firmationeq; S A N C T I S P I R I T U S, omnem fal-
 sitatem devitare, & sapienti constantiâ, ad-
 versa aut pati, aut vincere possit. Manifesta
 sunt hæc, & divinis scripturis munitissima; ni-
 si, inquam, hæc sic se haberent, multi pii ho-
 mines non cogerentur in suis ministeriis, tam
 magna certamina, labores, sollicitudines, &
 obtreccationes, sustinere. Ego quidem, ut de
 me ingenuè fateor, sæpiùs putabam, non opus
 esse anxio animo sudare, & laborare, quomo-
 do quis *Ministerium* suum tueatur, resq; *Ecclesia*
 satis benè habere, tot *Principibus*, & *Præsidibus*,
Germaniam nostram moderantibus, & rerum
 divinarum administratio non posset non in
 suo ordine conservari. Postquàm autem vidi,
pagos, & *villas*, *Ministris* verbi destitui, *Cænobia*, &
 nonnulla *Collegia*, tam propriis, quàm proxi-
 morum calamitatibus, non affici, & plebecu-
 lam, meæ curæ commissam, id sibi de me pol-
 liceri, quod est solliciti, & vigilantis, *Pastoris*,
 neq;

neq; me talem illi prestare posse, prætereâ nul-
 los extare, à quibus possem perire cooperari-
 os in messem *Domini*, & multa alia, quorum e-
 mendationem sperabamus, cottidiè in pejo-
 rem partem degenerare, & mutari &c. Cœ-
 perūt in animo meo versari cogitationes mul-
 tæ, & graves, quæ me hortabantur, non suffi-
 cere, solo affectu esse propensum ad decentem
 nostri *Ministerii* ordinem constituendum, neq;
 solâ spe imaginariâ retineri posse officium,
 quo fungor, sed pericula non solùm præcaven-
 da, sed etiam subeunda, esse, lapsis rebus suc-
 currendum, cœleste Adjutorium, juxtâ divi-
 na præmissa, implorandum. Cæterùm, cùm
 in *Cænobiis* multos id solùm curare videamus,
 quâ ratione ex communi fructu, & censu, non-
 nihil corradere, & dùm illis pecuniæ confici-
 endæ potestas est, in proprios usûs vertere,
 possint, quasi nihil referat, *Religionem* nostram
 adjuvare, aut negligere, saltém si suum sta-
 tum, ex bonis *Cænobii*, in delictiorem, & for-
 tunatiorem, conditionem transferre valeant.
 Testem invoco DEUM meum, ab hac avara
 desperatione me semper fuisse alienissimum.
 Omissis igitur præposteris Exemplis, DEUM,
 & DOMINUM nostrum JHESUM CHRISTUM,
Ecclesiæ non deesse, & divinas promissiones non
 posse fieri irritas, firmissimis cogitationibus
 complexus sum, confidenter putans, studio, &
 cona-

conatu aliquid me perficere posse. Accesserunt ad hoc piissimi nostri CAROLI IMPERATORIS tot admonitiones, in *publicis Conventibus* promulgatæ, ut universi & singuli suo loco, & pro se, studeant id agere, quod sanctam, & communem, nostram *Religionem* promovere, & veram pietatem præ se ferre, & *generalem* illam *Concordiam*, quam (DEO propitio) futuram speramus, non nihil adjuvare, possit. Toties nobis objicitur, nullibi esse majorem contemptum bonarum literarum, & sincerioris doctrinæ, quàm in *Collegiis Monachorum*. Toties clamatur, superstitiones, & impias Traditiones, satis regnâsse, tempestivum esse, ut à somno expergiscamur: quid? quod mundus ad idteritum flectit, & omnibus præcavendum est, ne his periculis, & peccatis, se immergant, quæ in novissimis temporibus abundare, & superentura esse, prædicta sunt? Jam, cum non possit negari, in *Monasteriis*, & *Ecclesiis*, multa deformata esse, obfirmavi animum meum, colligens mecum, quid primum omnium esset in meliorem formam cogendum, ne meâ negligentia, & in meo loco, malè audiret sancta *Religio*, & *Christiana Pietas*. Porro cum hæc tria: *Populus DEI*, *Verbum DEI*, *Minister*, seu prædicator, *verbi*, ita necessariò cohæreant, ut in negotio fidei divelli non possint, juxta illud: *Fides ex Auditu est, Auditus autem per verbum DEI*.
Pri-

Primò mihi cogitandum fuit de *vocatione, & ordinatione Ministeriorum*, ne populus esset sine verbo DEI, ex quo disceret, & intelligeret fidem CHRISTI. Quid facerem in tanta penuria, & perversitate *Ministorum*? Institui qualemcunq; LUDUM LITERARIUM, vocavi aliquot Juvenes, conduxì Pædagogos, & bonarum Artium Magistros: construxi BIBLIOTHECAM, & quicquid per me ipsum præstare potui, sciunt bonæ fidei homines, me semper cupivisse, & amâsse bonam doctrinam, & modestam vitæ consuetudinem. Et nisi *Scholastici* aliquot tam domi, quàm foris, in literario studio per me hæctenus essent educati, mirum, si possem subterfugere cum DEI, tum hominum iudicia, quando *Ecclesiæ Ministerium* & laborem nemo desideraret, nec ego haberem, cui delegari possit. Spero autem omnibus bonis viris probari, si, in meo loco, Christianam Rempubl., pro meâ virili, adjuverò: quod maximè fieri constat, quando docti & fideles Ministri populo DEI præficiuntur, & quando vera doctrina, & bonæ artes, in *Cœnobio* conservantur, & Junioribus traduntur, qui *Parochias, & Ministerium* verbi DEI, accepturi sunt. Venerunt nuper ad me cujusdam pagi homines, interpellantes me his verbis: *Domine, da nostris pueris doctorem!* Ego respondi: *Num solis pueris?* At illi: *A pueris propagabitur doctrina ad senes.* Rectè admodum

modum videbantur mihi sentire, minus dolendum esse *Senum* rudiratem, saltem illorum *pueri* Christianam doctrinam, & pietate, probe essent instituti. Jussi homines illos bono esse animo, me fore illis *pastorem*, & *doctorem*. Porro, quando jam illud meditari, & conari, soleo, ut in *Cœnobio Solitariensi* sana doctrina conseruetur, & pueris illorum, ac omnibus aliis tradatur, juvenes alantur, pro ea propaganda: irascitur Sathan, rident, vexant, conturbant malevoli. Ego autem, post DEUM, omnes pios, & timentes DEUM, rogo, ut nostram causam adjuvent, & commendatam habeant, ut improborum cavillationes, pia studia cerininari, & denigrare non semper, pro sua temeritate ansæ sint. Cupimus in nostro *Cœnobio* omnes abusûs, qui scandalo sunt aliis, prorsus extinctos esse, & apud nos *Christianam doctrinam* in pretio haberi, *Linguas*, & *Autores*, conservari, nos, & nostrum populum, rectè instituere, & illud facere, quod fructum aliquem præsentis *Ecclesie* adferre potest.

De *Vsu* & administratione SACRAMENTORUM, nihil absurdum, nihil temerarium, nihil deniq; , quod præsentis *Ecclesie* non sit ad commodum, & aptum, agitur. Et ô utinam vera fides *Sacramentorum* apud omnes integra, & illibata, permaneret, facilè, de *Vsu*, pro locorum, temporum, & hominum, varietate, apud pios
 fanci-

sanciri posset concordia! Nos SACRAMENTUM BAPTISMI, SACRAMENTUM CORPORIS & SANGUINIS, DOMINI, docemus, & confitemur, sicut semper docuit, & credidit DEI Ecclesia. Quod verò ad Administrationem, & Usus, attinet, cupimus antiquam puritatem rebus sacris restitui.

Exhibemus populo *Integrum Sacramentum*, gravissimis causis in eam sententiam adducti, & compulsi. Primò, cùm in *Germania* magna pars *Sacramentum corporis, & Sanguinis CHRISTI* administrari debere contendat, eo modo, quo ex *CHRISTI* mandato, & institutione, SUB UTRAQ; SPECIE Ecclesiam sumpsisse, constet: & ex altera parte sint, qui secùs agant, sit ex illa dissimilitudine, ut homines nunc hùc, nunc illùc, in diversum rapiantur, sicut absq; *Sacramento* quidam nec vivere, nec malâ conscientia, accedere sustineant, & multi me quàm læpissimè officii mei coramonefecerint. Quid facerem in his angustiis, neq; adesse, aut deesse, officio meo potui. Clamavi ad DEUM meum, gubernatu Ecclesiam! pascere tu oves tuas! Sed divinitus mihi monstrata via, mihi vocato ministro populi DEI in promptu esse pabula, ovibus administranda, saltém officii mei non obliviscar.

Vidi, & intellexi, DEUM nostrum Ecclesiam suam, sanguine suo ex immensa charitate sacris huma-

huma-

humaniter acquisivisse, cœlesti sapientiâ docuisse, divinâ potentiâ gubernare, & quemadmodum *Ecclesia* ex verbo **D E I** genita esset, itâ ejusdem verbi illuminatione vivere, vincere, regi, & consistere. Jam, cùm, ex verbo, & institutione *Domini*, palàm sit, quis debeat esse usus, quæ administratio hujus divinis. *Sacramenti*, tutiorem & fidelio rem viam eligendam, & meliori parti accedendum statui, & me totum committere sanctioni, & ordinationi *Salvatoris* nostri, **D O M I N I J E S U C H R I S T I**, & sanctorum ejus *Apostolorum*, certissimè credens, ex verbo, & ordinatione divina, omnia, quicquid post *Creatorem* est, suas vires, consistentiam, vitam, modum, habere, & contrà ordinationem **D E I**, omnia frustra tentari. Maximè verò necessarium esse, in rebus nostræ fidei, & spei æternæ hæreditatis, nihil extrà verbum, ordinationem, & voluntatem, à *Cœlo* nobis monstratam, fieri, alioqui incerti permaneremus, an apud **D E U M** sic se haberent actiones nostræ, si non testimonio divinæ voluntatis confirmarentur. Cùm enim hoc augustissimum *Sacramentum*, verbo & virtute **D E I** firmatum, & conditum sit, & per eandem potentiam, & voluntatem, divinam, nobis, quotidie hujus institutionem recolentibus, fiat *Corpus*, & sanguis *Domini*, hoc est, id, quod **D E U S**, esse, & posse, voluit, quis hominum tam audax est, qui

qui

qui velit derogare, aut tam tumidus, quod dubitet, se committere, & assentiri divinæ institutionis.

Deindè, cùm à nobis majori quadam diligentia, & cura, simplex plebecula examinaretur, invenimus, non tolerandam, ignorantiam, abusum, & opiniones absurdas. Quidam, verborum, & promissionum DEI ignari, solum consuetudinem, & annum opus, recolebant. Quidam, an duplex, aut simplex, esset species *Sacramenti*, ignorabant: quidam, ex calice sanguinem CHRISTI sumpsisse, sicut verba *Institutionis* sonant, opinati sunt, cùm tamen vinum, non consecratum, in calice solitum fuisset illis propinari. Quidam hodiè perpetuò abstinere, quàm contra conscientiam, & contra *Salvatoris* institutionem, sumere malunt.

Quando autem populus ad frequentem communionem adhortandus est, cogor habere rationem conscientiarum, ut hoc venerabili *Sacramento* uti possint, non, ut ipsi somniant, ignorantes virtutem, & promissionem hujus imensi thesauri, sed ut alacri, & tranquillâ conscientia accedant, & mentes illorum gratias agant DEO, consolationem accipientes contra tot pericula fidei, & charitatis. Præterea, quicquid ad justam recordationem mortis *Dominici* attinet, in communi celebratione hujus

G

myste-

mysterii, fideliter omnes imitari debent, & prædicare. Non potui igitur aliâ ratione plebi DEI, consulere, quàm ut invitaretur ad verum usum integri *Sacramenti*, à CHRISTO, & sanctis ejus *Apostolis*, nobis traditum, & in veteri *Ecclesia* servatum, ne esset in populo discordia, hoc semper caventes, ne cuiquam causa præbeatur invicem temerè damnandi, aut judicandi: quia enim *Sacramentum Unionis* sumimus, scimus, nos fieri membra unius corporis CHRISTI, & non possumus oblivisci mutuae dilectionis. Rogo igitur omnes, timentes *Dominum*, ut, hanc revocationem pristini, & genuini usûs, benignè interpretentur. Ut enim certus sum, ordinationi divinæ nihil repugnare, ità omnes *Superiores* meos, & veræ Pietatis cultores, spero, mihi placabiliores, & benigniores, futuros.

Postremò, quod ad *PRECES*, *HYMNOS*, & *LECTIONES*, in templo attinet, hoc quoque providemus, ut nihil, nisi quod ex *Scripturis*, & probatis *Autoribus*, petit ùest, legatur, aut sonet.

De *LINGUARUM* usu eadem est Regula: *Latinam* veneramus, & tuemur, sic tamen, ut populus pias aliquot *Cantiones* habeat, quas suâ linguâ moduletur, & nos interim tractandis *Sacramentis*, aut solennibus *precibus*, aut *publicis lectionibus*, eâ moderatione utimur, ut populus suo intellectu non defrauderur, & possit respon-

respon-

respondere A M E N , & D E O in cordibus gratias agere.

De disciplina CLERT, quàm necessaria sit, & quàm petulanter negligatur, cum ingenti animi mei cruciatu deploro. Regulam, quam D. Paulus Timotheo, & Tito, præscribit, magna contione & exprobratione his, qui me audiunt, & ex me pendent, quotidie legendam, & moribus exprimendam, propono, ut vita omnium nostrum sit nostrâ professione digna. Et hic mihi maximè Sathan hostis ille accusandus est, qui cum non audeat, aut potest, evertere sanam doctrinam, nititur illam malis moribus, rixis, & dissensionibus, denigrare. Ego autem arbitror, *Studia* nostra, & pium institutum, non ideò culpandum, si unus, aut alter malè feriatorum hominum sequantur vias suas malas. Quis enim ignorat, quanta sit horum temporum immodestia, petulantia, & ferocitas?

Si quid de COELIBATU, aut *Matrimonio*, CLERICORUM, dicendum est, hoc liberè dico: Vitiosum *Cælibatum*, & turpitudines, quas dicunt legem *Cælibatûs* peperisse, me, ut Inferni claustra, odisse, & abhorrere. Et ego cum meis, qui me audiunt, & obsequuntur, non volumus esse participes, quicquid sordium, criminum, & immundiciarum, impuro *Cælibatûi* objicitur. Nos dicimus, libertatem *Cælibatûs*

in bonum usum captandam esse, nimirum, ut
C H R I S T O, & *Ecclesia* ipsius, nostris *Ministeriis*
 grati, & impediti per omnia debitis officiis in-
 sistere queamus. Adhortandi sumus ad con-
 tinentiam, more *Apostolico*, sic, ut castitatem, &
 sobrietatem, & quamvis mortificationem,
 tranquillâ mente, bonâ & latâ conscientiâ,
 amplectamur, absque ullis vinculis, aut animi
 perturbatione, aut superstitione illâ consue-
 ta, aut malâ conscientiâ, aut suspicione fini-
 strâ, sed omnia propter *Evangelium* regni **D E I**.
 Cæterum illa sententia *Apostoli* nihilominus fir-
 ma permaneat: **Honorabile C O N N U B I U M** in
omnibus, & thorus immaculatus! Fornicatores enim
& adulteros judicabit Dominus. Nam hîc admo-
nemur, illos, quos constat uri, & scorta-
tionibus, aliisq; impudicitis, sese contami-
nare, non effugere iudicium D E I, juxta illud:
Neq; Scortatores, neq; Adulteri, hereditatem accipi-
ent regni D E I. Melius igitur est, nubere, quam
uri. **U R I**, id est, gravioris supplicii pœnas,
 & pericula subire: quemadmodum videmus
 in his, qui impatientibus animis in *Cœnobiis* vi-
 vunt, quàm multas turbas excitent, quæ scan-
 dala dent, qualia negotia facessant piis mori-
 bus. Spero autem *Romani Imperii Proceres*, atq;
Episcopos, & Rectores Ecclesiarum, his periculosis
 temporibus, relaxare humanæ autoritatis in-
 commoda, & *Sacerdotibus, ac Ministris Ecclesiarum,*
 qui

qui absq; contaminatione aliquâ , aut negligentia Ministerii, matrimonio uti possunt, nulli vincula injicere. Ad hæc , etiam arbitror, pios, & constantes Ministros verbi D E I , non levitate aliquâ , aut vitiosâ petulantia, ambire conjugium, sciunt enim , quantas curas nobis quotidie det negotium *cure animarum*, (omnium curarum cura) quales affectus sibi vendicent *quotidianæ lectiones, Studia, preces, explicationes difficultatum scripture*. Si quis nostrum proinde vult cum *Vxore* vivere, liberum erit, saltém nubat in *Domino*, sed absq; significatione temerariâ, & impudicâ, citrà vituperationem *Ministerii* nostri, & observet decorum, & pietatem fidei, quæ requiritur in utroq; ordine.

Si quis de cætero pergat mihi molestus esse, sciat, stigmata D O M I N I J E S U in corpore suo portasse *Apostolum* : & Ego quoq; non discedam ab Eo, per quem Justitiam, & Salutem, sum assecutus

&c.

L A V S D E O.

G 3

RE-

REVERENDISS. PATRIS,
 PETRI LOTICHII,
 ABBATIS SOLITARI-
 ENSIS:

EPISTOLARUM
Superstitum LIBELLUS:

EX AUTOGRAPHIS
 congestus, & ab interitu vindicatus,
 fideli operâ

IO. PETRI LOTICHII,
 D. Medici.

*Prestantissimis, & Magni-
ficis Viris,*

D. RECTORI, ALIIS-
QUE IN ALMA ACADEMIA
Marpurgensi Professoribus: Ami-
cis, & fautoribus suis candi-
dissimis.

*PETRVS LOTICHIVS, ABBAS
in Ecclesia Solitariensi.*

HUMANAM naturam, vitio originis, horri-
biliter corruptam, tantumq; non extin-
ctam, *Viri Ornatissimi*, atq; *Celeberrimi*, & hanc-
ce Patriam in hac mortalitate à barbarie ad
civilitatem ab Ignorantiâ, & tenebris, ad ve-
ram Creatoris DEI cognitionem, reformari
oportere, non opus est, ut multis verbis decla-
rem. Quando verò mihi in meo loco *Ministe-
rium Reformationis* ejusmodi injunctum sit, &
absq; verbo, & doctrinâ, reformari nemo pos-
set, neq; indocti docere alios, satis constat, *Li-
teras*, & *Scripturam*, prius discenda esse, quibus
totum reformationis opus augetur, & coale-
scit. In hoc meo *Ministerio* hætenus laboravi,
quantum potui, sed non satis potui, conabor
igitur, ut, quantum opus est, possem. Possum
autem, & fortior ero, si *Vestra Excellentia*, ut spe-

ro, meæ inopiæ opem attulerit. Quare vos, ob *Salvatoris nostri, DEI filii, Ecclesiam*, rogo, atq; oblecro, ut *D. Theobaldo Thamer*o, in vestra *Academia Professore*, vel ad unum annum, apud nos conversari, vestro consensu, liceat. Dura petere videor, at *Pietas* suo quodam jure jussit, quam apud vos, veræ pietatis amantissimos, multum valere arbitrabar. Peto igitur à *Vestra Excellentia* certior fieri, & si qua in re omnium vestrum honori, & utilitati, cum meis, interservire possim, paratissimus ero. Datae *Solitariae, Anno Salutis nostræ, 1545, Dominicâ Misericordiæ Domini.*

Viro & Literis & Pietate Clarissimo,

D. PETRO LOTICHIO, ABBATI Ecclesiæ Solitariensis maximè digno, Domino simul atq; amico inter primos habendo:

RECTOR, ET PROFESSORES
Studii Universitatis Marburgensis.

Literas, quas ad nos scribis, *Vir omnium dignissime*, eo nomine gratissimas habemus, quod non modò eruditionis sunt plenæ, verum etiam egregium conatum præ se ferunt *Ecclesiæ tuæ Christianæ* rectius instituendæ. Neq; dubi-

dubitamus, quin, si alii quoq; *Episcopi, & Prælati* eodem modo erga pietatis studium animarentur, amplior *Sacrofancti Evangelii*, idemq; apud multos felicior progressus esset, quam proh dolor! nunc apparet, & regnum **C H R I S T I** propediem per orbem Christianum & purius, & liberius prædicaretur. Perge itaq;, & quod cœpisti, promovere non desinas, juvabit enim institutum illud tuum *Is*, qui solus potens est etiam intermedios *Leones* gloriam suam ostendere, & ministros suos in verbum æternum armare.

Cæterum, quòd *D. Theobaldum Thamerum* in hoc tibi aliquandiu à nobis permitti contendis, non sine optimo pietatis Zelo fieri haud obscure intelligimus. At tamen hoc temporis desiderio tuo respondere, pleraq; sunt, quæ nobis recta intercedunt. In primis, quòd *Scripturarum* enarrationem, etiam *Linguis* coadjutantibus, publice suscipit, Christianumq; cœtum saluberrimis *Concionibus* è suggestu docet, quam ita in ipso sacri instituti cursu, adeoq; in media messe, aut avelli, aut impediri, non decebat.

Præter hoc, ut *Theobaldum* ipsam *Illustrissimo*, *Optimoq; Principe* nostro, **PHILIPPO**, volente, ad utramq; functionem suscepimus, ita quoq; ipsum, absq; *Celsitudinis* suæ jussu, in *verbi Ministerium* aliquò, etiam ad tempus, ablegare, in

nostra authoritate haudquaquam esse, statim
persuadere tibi poteris.

Sin autem alius quisquam fuerit, cujus ope-
râ ad hoc functionis uti volueris, quantum in
nobis erit, nihil omitemus, quod ad juvan-
dum institutum tam pium, sanctumq;, ad tene-
re poterit. Optimè Vale, & responsum hoc
boni consule. X. Calend. Majas, M. D. XLV.

*Reverendo in CHRISTO PATRI,
ac Domino,*

D. PETRO LOTICHIO,
Abbatì Solitariensi longè di-
gnissimo,

Andreas Hyperius

S. D.

EQUIDEM sapientiam, quæ specioso
hoc nomine verè digna est, non credo,
Reverende in CHRISTO Pater, à quoquam
rectiùs esse commendatam, justisq; ornatam
laudibus, quàm à rege *Solomone*, qui divino o-
raculo mortalium sapientissimus est judicatus.
Verum namq; est, quod vulgò dicitur: *Vnum-*
quemq; eâ de re quàm optimè judicare, cujus ipse gnarus
sit. Ac sit fanè modo nescio quo, sensus eorum,
qui artem quàmpiam pulchrè callent, multò
aliter sunt adfecti, & ad explorandum singula,
feren-

ferendumq; acre iudicium informati, atque istorum, qui ejusdem artis planè rudes sunt. Quocircá *Nicostratus*, pictor eximius, quemadmodum apud *Aelianum* legimus, cùm aliquando pervenisset, ubi in tabula erat *Helena*, opus nobilissimi pictoris *Zeuxidis*, animo non minús, quàm oculis, in ejus contemplatione avidè intentus, diutiusculè perstitit. Intervenit tandem quispiam, rogans: *Ecquid nam tibi tantoperè admiraretur?* Sed ad hunc *Nicostratus*: *Non me, inquit, rogares, si meos haberes oculos.* Scitè profectó is declaravit, peritos quidem de rebus oblatiis, rectè: imperitos verò longè secús, sentire, ac pronunciarè. Atqui ex his proclive est colligere, hos demùm de pietate æquum ferre iudicium, qui ipsi pii sunt, & habentur. Quó haud dubiè spectat, quod dixit *Apostolus*: *Nemo novit ea, quæ sunt DEI, nisi spiritus ejus; & cui DEVS voluerit revelare.* Et: *Homo animalis non capit ea, quæ spiritus DEI sunt.* Confiteitur *CHRISUS* quoq;, *Patrem suum Cælestem* arcana aperire parvulis, & humilibus, ad quæ sapientes hujus mundi nullâ unquam ratione penetrant. Sed tamen in his ipsis, qui pii sunt, quoddam deprehenditur discrimen, si quando iudicium de negotiis pietatis dare eos oportet. Qui namq; cum egregia *Pietate* egregiam copulârunt *Eruditionem*, quæ in optimarum disciplinarum cognitione consistit: hos, quotiescunq; interrogantur,

tur,

tur, audire licet multò semper dexteriùs, acu-
 tiùs, & graviùs respondere, quàm quoscunq;
 illiteratos. Tradunt *Physiologi*, rebus plerisq;
 etiam sensùs expertibus, inesse occultam quan-
 dam amicitiam, & frequenter alteram alteri-
 us viciniâ habere melius. Siquidem *ruta* cre-
 ditur lætissimè provenire apud *ficum* lata: *ul-
 mus* gaudet cohabitare *vitibus*: neque opus est
 plura ejus generis enumeremus. Ad eundem
 igitur modum, videtur & *Pietatis* hic esse ge-
 nius: succrescit ipsa feliciùs, vividiorq; evadit,
 quando in hominem incidit literatum, atque
 cum *Eruditione* suavem nanciscitur consuetudi-
 nem. Videmus aliquoties in nonnullis eluce-
 re *Pietatis* simulacra, ob quæ pii existimantur
 ab omnibus: at verò, quoniam à disciplinis
 sunt alieni, hūmi plerunq; repunt, nec ad re-
 rum, paulò sublimiorum, quæque vulgi opi-
 nionem superant, contemplationem attolle-
 re caput valent. Certè *Paulus Apostolus* notat,
 ac reprehendit quosdam, atque miserandam
 eorundem vicem aut se impensè dolere, qui
 quamvis *ζήλον*, hoc est, studium *DEI*, habe-
 rent, scientiâ tamen erant destituti: ideoque
 fieri non poterat, quin aut in dijudicandis do-
 gmatibus, aut in vitæ actionibus, moderandis,
 toto subindè cælo aberrarent. *Eruditio* nimi-
 rùm quasi fulcrum & sustentaculum est veræ
Pietatis: sicut ex adverso, pietatis præsidio po-
 tiffi-

rissimùm munitur eruditio, augeturq; . Est i-
 gitur incredibilis quædam istarū duarum vir-
 tutum, *Pietatis*, inquam, & *Eruditionis*, inter se
 cognatio: ut alterutra si absit, necessariò ea,
 quæ sola relinquitur, imperfecta, manca, &
 propè inutilis, maneat. Verum quidem est, u-
 bi alterâ omninò carere oporteat, meritò ele-
 gerit aliquis *Pietatem sine literis*, præ *literis*, sine
Pietate: sed tamen & recta ratio, & usus ipse
 rerum, palàm evincunt, *Pietatem*, quæ non
 habeat lateri adjunctam aliquantam *Eruditio-*
nem, debilem per se, & infirmam esse: *Eruditio-*
nem verò, si *Pietatis* adminiculis non sustente-
 tur, subindè etiam noxiam fieri. Ergò ex his
 quivis, opinor, intelligit, homines illos, præ
 cæteris, beatos esse, & quamplurimùm DEO
 OPT MAX. debere, in quibus aut *Pietas literata*,
 aut *Literaturapia*, enitere conspicitur. Atq; ubi
 hinc quidem *Pietatem*, indè verò *Eruditionem*,
 paribus contingit incedere passibus, & quo-
 dammodo consilia, rationesq; suas conjun-
 pere, ac operas in commune conferre, ibi cer-
 tissima spes affulget, res magnas, quibus am-
 plificetur in terris DEI gloria, quæque miseris
 mortalibus cedant salutariter, posse confici.
 Itaque, quemadmodùm initiò dicere cœpi,
 de *Pietate* non ferè alii præclarè sentiunt, quàm qui i-
 psi *Pietatis* nomine sunt commendati: atque hos, præ
 cæteris, de illa pronunciantes audiri, æquum
 est,

est, quos singulari **D E I Patris Cælestis**, beneficio, insignitum *Pietate*, tum *Eruditione*, decoratos viderimus. Huc porrò tendunt, **R. P.**, ista omnia. Cùm exploratum habeam, te ut *Pietate*, ita *Doctrinâ* quoque excellere: minimè dubito, quin de omni *Studiorum* genere, quo *Pietas* modo promoveri utcunq; queat, magnificè semper sentias: neque id solum, verùm etiam omnibus viibus, omnibusq;, quod ajunt, copiis, ad eadem studia evchenda, illustrandaq;, enitaris. Ac sunt sanè plura argumenta, in conspectu posita, quæ ita esse ut persuasum habeamus, efficiunt. Primùm enim *Solitarii*, ubi magna cum laude multos annos præes, **SCHOLAM** non modicis instituisti sumptibus, in qua delecta juvenus elementis doctrinæ religionis, & bonarum literarum, summâ optimorum præceptorum fide ac diligentia, ad omne officii munus informatur. Hac autem re, quavis per se laudatissimâ, non contentus, plures **ADOLESCENTES** (quorum nonnullos novi, liberali planè ingenio, & expectationem sui egregiam concitantes) jam longo tempore, & liberaliter, in *publicis Scholis* alis, & **THEOLOGICÆ** omnes sedulam dare jubes operam, ad *Ecclesiarum* gubernationem, quamprimùm erit opportunum, admovendos. Jam verò **POPULO**, tibi concredito, *mysteria Evangelii JHESU CHRISTI* in *Ecclesia* accuratè ipse tradis & inculcas:

culcas:

culcas: nullum, sicut *Apostolus* loquitur, defugiens laborē, odia, pericula, quō minūs veritatē, divinitūs revelatam, patefacias. Adhæc ergā quoscunq; *Pauperes*, quātā sis humanitate, quā benignē, hilariterq; sublevandis ipsorū necessitatibus *Opes impertias ECCLESIAE* (quæ imprimis ad *Ministros verbi*, & *Pauperes* alendos, fovendosq;, sunt à majoribus, juxtā *Apostolorum* doctrinam, collatæ) norunt in vicinitatibus, & confiniis habitantes universi: norunt etiam procul disjuncti: quorum alii expertos se profitentur: ad aliorum verò aures de tuis virtutibus, ut latere benefacta non possunt, quædam sunt fando perlata. Optimo autem jure de præclaris hisce tuis factis (nam reliqua, non inferiora, taceo, quando quidem quævis egregia virtus plures semper habere solet comites: sicut neque notabile ullum vitium consistit solum) plura à me dicerentur, eademq;, prout par erat, prædicarem: sed in præsentī certis de causis prætermitto. Unum tamen illud verè dicam, vehementer scilicet optare me, quin etiam à DEO, Patre Cœlesti, frequentissimè precari, ut orbis Christianus quamplurimos, tui similes, non dico, *Ecclesiarum Antistites* tantum, sed *Principes* quoq; viros, & *Optimates*, habeat, qui, in promovenda cœlesti doctrina, te æquare, imò superare, pro suâ facultate, omni animi contentione, elaborent. Certum namq; est,

est,

est, si id contingeret, longé meliús tam *Ecclesi-*
as, quàm *Respublicas*, ordinatas propediem cer-
 neremus, atque pariter rebus humanis feliciús,
 qaàm haetenús, consultum foret. Paucis mul-
 ta complector: nec dubium mihi est, quin cor-
 dati, æquiq;, existimatores mecum sentiant,
 atque consilium, sive exemplum, tuum univer-
 sis *Religionis* sinceræ amantibus, præsertim qui
 in *Ecclesia*, vel *Republ.*, sunt cum potestate, am-
 plectendum, sequendumq; esse, opinentur, si
 modò *Ecclesias* salvas habere, ac *Religionem* reti-
 nere incolumem, desideramus. Etenim mar-
 cescat, sensimq; extinguatur, *Religio*, ac barba-
 ries sequatur plusquàm Scythica, necesse est, u-
 bi sacrarum studia literarum à nullis promo-
 ventur, vel excoluntur. Cúm igitur, R. P., pro
 eximiâ tuâ *Pietate*, & excellenti *Eruditione*, *Studio-*
rum Sacrorum semper visus sis patrocinium cu-
 pidè suscipere: & quo pacto quoque, qui po-
 tentiâ, atque autoritate valent, idem facere
 cùm possint, tùm pro officio debeant, unus lu-
 culenter, & quasi signo sublato, ostendas: ra-
 tus sum profectò, me operæ facere precium, si
 contestari cupiens, quantoperè mihi institu-
 tum tuum probetur, atq; bonis omnibus pro-
 bandum autumem, *Libros* hos, *de rectè informan-*
do THEOLOGIÆ studio, ad te mitterem, tuoq;
 nomini dedicarem. Quos gratos, acceptosq;
 fore confido, non tam, quòd sancto propo-
 si-

to tuo, de illustranda doctrinâ *Religionis*, & verâ *Pietate* propagandâ, videntur accommodi: quàm quòd bonæ expectationis *Adolescentibus*, qui palæstram *Theologicam* ingressi, ad palmam felici cursu anhelant, suspirantq; inprimis verò his, quos benignè in *Scholis* foves, atq; *Theologiae* cupis vacare, momentum aliquod ad proficiendum sunt, nisi vehementer fallor, allaturi: Ego quidem ad juvandas *Scholas*, atque, cum *Scholis*, *Ecclesiis*, quarum illæ sunt seminaria, perquàm libenter omnes meas cogitationes, labores, vigiliasq;, convento. Quo certè nomine voluntatem, studiumq; meum, spero, etiam atque etiam probabis. Vale. Mense Martio, 1556.

Clarissimo Viro,

ANDREÆ HYPERIO, SS. Th.

Doctori, & in Acad. Marpurgensi Professori: Domino, & amico colendo:

PETRVS LOTICHIVS, ABBAS
Solitariensis:

Adolescens, qui tibi has meas, *Prestantissime D. Doctor*, affert literas, indè à pueritia, cum aliis æqualibus, apud fratrem suum, *Sigfridum Hettenum*, pastorem meum, virum integerrimum, & doctum, in nostra *Solitaria* nutritus, & bonis studiis addictus, fuit. Cæte-

H rúm,

rùm, cùm ego nihil magis optem, & meorum laborum fructum nullum aliũ spectem, quàm ut ingenui *Adolescentes bonarum Artium* studium, & *S. Theologiæ* disciplinam, amplectantur, quò multi sint, qui sese Sathanæ regno opponant, & gloriam filii D E I, pro nobis incarnati, & crucifixi, vindicent, & tueantur. Cùm autem nos omnes sciamus, te virum doctum & pium, ad promovenda *Theologiæ* studia, natum, rem bonam, & salutarem, arbitramur nos fecisse, si adolescentem memoratum tibi commendemus, ut ipsum, si fieri possit, in ædes tuas recipias, studia, & mores ejus formes. Quanti sumptûs requisiti fuerint, bonâ fide tibi illum numeraturum esse, nunquam dubites. Ego, gratitudinem ergà te meam, *pro delicato libello, brevi reipsâ* declarabo. His vale fæliciter! *Ex Solitaria, in feriis Nativitatis Mariæ, B. Genetricis, Salvatoris nostri, Anno Salutis, M. D. L V I.*

Pietate, & doctrinâ insigni Viro,

D. PETRO LOTICHIO, AB-
BATI in Ecclesia Solitariensi, pa-
 trono, & domino suo semper ob-
 servando:

Theobaldus Thamerus S. D.

Gratia, & pax tibi, tuisq; omnibus, à Do-
MINO JESU CHRISTO! Redditæ sunt
 mihi

mihi tuæ literæ, *Abbas observande*, ex quibus sum-
mâ voluptate perfusus sum, & spem maximam
concepi, te, tuo optimo, & prudentissimo,
consilio, aliis quoque *Monasteriis* illustri exem-
plo futurum, ut eodem ardore mentis, eodem
studio, ad *Ecclesiam CHRISTI*, quæ nunc va-
cillat, fluctuat, & ab omnibus ferè deserta est,
propagandam, defendendamq; , sint conspira-
tura. Nam gravissimè inquit Poëta *Hesiodus*:

ἢ δεξή ἢ μισυ πᾶν λόγος: Et noſter:

Dimidium facti, qui benè cæpit, habet.

Tu fundandis *Fidei* principiis primus aciem
perfregisti, & spero paulò post plures ex *Princi-*
bibus nostris, & *Antistitibus Ecclesie*, tua vestigia
secuturos, qui eodem animo ergà *CHRISTUM*
afficiantur, ut ipsius *Ecclesiam*, vel cùm capitis
periculo, in integrum, & pristinum suum vigo-
rem restitutam cupiant. Certè, nos in hoc o-
mnes nati, & vocati sumus à *DEO*, ut gloriam
ejus, pro virili nostrâ, illustremus. Utinam i-
dem illi perpenderent, qui nunc, veritate co-
gnitâ, in cubilibus suis, ut *Oseas Propheta* ait, u-
lulantes, & super frumentum & vinum rumi-
nantes legem *DEI*, quam ipse nobis præscri-
psit, tanquam à suo choro alienam reputant,
aut potiùs pedibus conculcant, & suis huma-
nis traditionibus contaminant, profectò *Eccle-*
sia, quæ nunc semi - mortua est, brevè revixerit.
Precor itaq; *DEUM*, per *Dominum nostrum JE-*

H 2

SUM

SUM CHRISTUM, ut te *Spiritu* suo in in-
 cœpto stadio corroberet, stabiliat, conservet,
 ne ullis Diaboli procellis ab hoc pio propo-
 sito dejiciaris. Cæterùm, non est, *Observande Do-*
minn Abbas, ut mihi indigno T. H. tam prolixè
 gratias agat, quippe cùm non ità multum de
 tuis filiis (quos tu sic piè vocitas) promerue-
 rim. Humanitatem tuam agnosco, benefici-
 um ergà te meum agnosco nullum. Utinam
 possem tibi, & *Ecclesie* CHRISTI, pro dignita-
 te inservire! certè nihil in hac mortali condi-
 tione optatiùs, aut graviùs, esset. Nunc autem
 distrahor undis quibusdam negotiorum, quod
 T. H. D. *Sigfridus*, fidelis tuorum præceptor, co-
 ram exponet: hinc me *Anabaptista* lacerant,
 quorum hîc magna colluvies est: hinc alii me
 mordent: in summa, omnes in nos sua vene-
 nata tela, tanquàm in scopum propositum, ja-
 culantur. Verùm illa omnia scuto *Fidei*, & au-
 xilio *Spiritus Sancti*, extinguimus. Velim itaque
Sigfridum hîc, cum pueris, remanere, si id per
 te licuisset. Is enim eis, quantum ad privatam
 disciplinam attinet, plurimùm hac in re pro-
 desset, ut cui nunc singulorum ingenia sint per-
 specta. Opus certè est eis omninò domesticâ
 institutione, quam equidem eis impertiri nec
 possum, nec me præstiturum, recipio. Hoc
 autem, quod D. *Sigfrido* in Artibus dicendi me
 eis gratificaturum pollicitus sum, id, D E O ad-
 juvan-

juvan-

juvante, summâ diligentia effectum dabo, ne
 quicquam hac in parte in me desideres. Vale.
Data Marpurgi, VII. Kal. Iniii, Anno XLIV.

PETRUS LOTICHIUS,

Abbas Solitariensis:

Doctissimo Viro,

THEOBALDO THAMERO, in A-
cad Marpurgensi SS. Theologiae, & bonarum
Artium, Professore:

S.

Non me latent, Optime Theobalde, quæ tecum,
 de tuis in nos, & nostram Ecclesiam, offici-
 is, *Marpurgi* locutus sum, nec hactenus mutavi
 sententiam, sed tacitus speravi, divinam bo-
 nitatem nostro proposito adspiraturam, ut in-
 telligere queamus, quâ methodo initia rerum,
 & ratio totius negotii, digerenda sint. Mo-
 dum, quem proximis ad me literis præscripsi-
 sti, secutus sum. Dedi literas ad *Dionysium Me-*
landrum, qui, quam vides, responsionem remi-
 sit, satis gratam, & quotidie gratiorem expe-
 cto. De T. H. omnia, quæ in hoc nostro ne-
 gorio mihi expedenda sunt, mihi polliceor:
 tu modò, quid nobis faciendum sit, doceas, &
 præscribas. Vale fœliciter! *Calend. Decembr.*

Anno, M. D. XLIV.

H 5

Reve-

*Reverendo in CHRISTO Patri,
ac Domino,*

D. PETRO LOTICHIO, AB-
BATI Ecclesiæ Solitariensis, de re
literariâ, imò Evangelicâ, optimè
merito :

Domino suo observandissimo :

Nicolaus Asclepius, Acad. Mar-
purg. Professor,
S. P. D.

T Ametsi, *Reverende Pater*, nihil intercessit,
quod me *Dominationi Tuae* vel conciliare,
vel insinuare, debeat : Duo tamē insignia sunt,
quibus sic afficior ergà te, ut, quasi ingens offi-
cium acceperim, me tibi plurimùm debere,
agnoscam. Quorum alterum publicum est,
privatum alterum. Nam (quod ad publicum
attinet) quem non moveat, imò in amorem
rapiat tui, ingens ergà *Scholam* hanc voluntas
tua? Ad quam, velut ad pulcherrimarum re-
rum rerum, *Doctrinarum* videlicet, mercatum,
non tuos modò dimittis, & ingeniis ornatos,
& probitate, verùm ipse tu comneas, veluti
novum aliquod orbis miraculum, aut *Phœni-*
cem, contemplaturus. Qui igitur tanti facias
Academiam hanc, quis, qui *literariam* hanc *Rem-*
publ.

publ. amet, non item te amârit ? Novi unum,
 aut alterum, tui ordinis *Principes*, quibus tam
 ingratum est *Eruditionis* nomen, ut si è nostris
 Latinam Epistolam acceperint, pro nauleâ ha-
 beant, nihili facientes, quod non olet *Barbari-*
cos illos titulos: Hochwûrdiger / gnâdiger Fürst /
und Herz ! Hoc istis est oratorium, & ut illo-
rum verba utar, Ambasiaticum. O Principum um-
bras, in d' Asinorum, ad quos adulatorum tur-
 ba, ignaviæ vitans procellas, aufugit ! Sed, de-
 lineabo aliquando insulsos istos, & qui aliàs
 elementorum characteres malè, pingam. A-
 pellem me exhibebo istiusmodi *Chymærarum*, cu-
 cullo Leonem, corde Lupum, incessu Pavo-
 nem, referentium. Quantò igitur tua fortuna
 illorum melior, quis non videt ? Poteras vel
 domi, propter egregiam *Eruditionem*, forâs e-
 minere tamen, gloriâ & famâ clarus esse : Sed
 intemperantium est hominum, non prodere
 in lucem DEI donum, ergâ literatos favorem,
 & summam cognitionem. Emergis igitur, &
 te ostentas, non arrogantiam aliquam, sed in do-
 ctissimos quosq; clementiam, & beneficentiam.
 Prodis, & *Philosophicam Scholam*, invisis, *Musas*
 salutas, cum *Apolline* habes consuetudinem, &
 cum *Diis Immortalibus* accumbis. An igitur te
 non faciamus plurimi ? An non amemus ? An
 non efferamus ? qui de *Senatu* hoc *Philosophico*
 tam censes egregiè, prædicas magnificè, invi-

sis humanissimè? Sed longiùs egredior, quàm
Nuptialis Epistola ratio exigit. Ad *privatum* igitur
Insigne alterum progredior. Misisti enim, inter
 alios, ad nos NEPOTEM tuum, PETRUM LO-
 TICHIIUM SECUNDUM, Adolescentem e-
 gregium, qui ad *Carmen* natus, Naturæ con-
 junxit industriam. Nec dubito, quin medio-
 cres *Poëtas*, ita jam vix XIX. Annorum, æquet,
 ut mox sit cum summis regnaturus. Nihil in il-
 lo summissum, nihil non generosum, nihil non
 sublime, & arduum. Qui qualis sit in me, &
 meos, nempe *Generum* meum, egregium Juve-
 nem, Iohannem Pennerum, *Carolo-Stadiensem*, Iohan-
 nis Draconitis, *Theologi summi*, *Nepotem*, & erga fi-
 liam meam *Elisabetham*, illi desponsatam, *Epitha-
 lamium*, ab illo eruditè, & doctè conscriptum,
 brevi tempore indicabit. Cùm igitur tua præ-
 sentia SCHOLAM hanc ornaverit plurimùm,
 tum à *Nepote* tuo magnum gloriæ ornamen-
 tum meis accesserit, cur te non, utroq; nomi-
 ne, suspiciam, & te verear? Cùmq; ipsa sis Hu-
 manitas, non sum veritus, Tertium à te exo-
 rare. Confecturus enim *Nuptias* charissimis
 meis, *genero*, & *filia*, ad IV. Id. Augusti, ad quas
 ornatissimos quosq; viros exornandas corro-
 gavi: occurristi & Tu, qui inter primos pri-
 mum locum non immeritò sis occupaturus.
 uare, quàm possum, oro obnoxissimè, ut ad
 inatum *Nuptiis* diem compareas, diemq;
 tam

tam *Illustrissimis* hominibus, quam novis Conjugibus, celebrem futurum, tuâ præsentia reddas celebriorem. Quâ re me *T. Dominatio* sic sibi devinxerit, ut me nihil non debere illi libenter agnoscam. Vale. *Marpurgi, ex ædibus meis, XV. Kal. Augusti, Anno Christianæ Salutis, M.D.XLV.*

S. S. Theologia Epistata,

PETRO LOTICHIO, apud nobilem Solitariam Cœnobiarchæ vigilantissimo: communi omnium Studioforum Mecœnati perpetuâ fide colendo:

*Casparus Rodolphi, in Acad. Marpurgensi
Organi Aristotel. Professor:*

S. D.

SI virtutem, & honestatē, *Pientissime Cœnobiarcha*, suis præconiis dignas judicamus, & si sæpè etiam eos bonis viris commendamus, quorum & vita, & mores non sunt admodum nobis perspecti: quantò rectiùs illos optimis quibusq; commendatissimos esse decet, qui, quæ bonorum adolescentum sunt, fecerunt. Inter quos & *Pietatis Tuae* stipendiarius miles, *Laurentius à Gelnhusen*, juxtâ prius, ac honestus, quod omnium primum in adolescente judico, insuper hic satis eruditus, pro temporis hujus

H 5 . curri-

curriculo, ingeniiq; tarditate nimiâ. Quid enim efficiat adolescens intrâ unius anni spatium, & is, qui fortassis à puero fuit neglectus, quiq; *Pallada* nunquam habuit faventem? Is igitur, postquàm à T. P. revocatur, jam accinctus itineri hasce literas commendatitias à me petiit, quibus eum *Amplitud. T.* commendarerem, quod quàm lubentissimè facio, eò quod in *Laurentio* nostro nihil unquam, quod ad morum integritatem attinet, desiderare potui. Proindè, *Amplissime Cœnobiarcha*, pro candore, quo studiosissimos quosvis, præ aliis omnibus, prosequi passim prædicaris, feceris tuo, si hunc bonum ac pium adolescentem in commendatissimis habueris. Hoc unico factò, *Tua Pietati* utrumq; fide perpetuâ obligaturus, & ab adolescente majorem gratiam, quàm ab adolescente referri par sit, relaturus. Vale *Cœnobiarcha pientissime! Marpurgi, Non. Aprilibus, Anno, ab orbe redempto, M. D. XLV.*

P. LOTICHIO, ABBATI Solitariensi, patrono suo magno:

Ioannes Draconites, SS. Theol. D., & in Acad. Marpurg. Professor:

S. D. P.

Maximas ago gratias, Pater Reverende, pro caballo. Volebam aliquo libello gratitudi-

itudinem meam declarâsse : sed vas meum
nondum allatum est *Francofurto*. CHRISTUS
JESUS benignum, & mite pectus *Tuae summæ*
Paternitatis servet æternum! De re *Theobaldinâ*
cum *Petro* egi : qui perscribet ad te sententiam
meam, arbitror. Semel tibi perpende, mi *Pa-*
ter, nihil omissurum me, quod ad gloriam no-
minis tui sit faciendum mihi :

—dum spiritus hos reget artus.

Cursim, in die Paschatos, M. D. XLV.

Reverendo Viro, Eruditione & Virtu-
tepræstanti,

D. PETRO LOTICHIO,

Abbati Ecclesiæ Solitariensis, patrono
suo colendo :

Philippus Melancton,

S. D.

Reverende Domine! Nomen Ecclesiæ tuæ nunc
universæ Ecclesiæ congruit. Nunc enim
videmus cœtum amantem veritatis, quàm ali-
às, *solitarium* esse, hoc est, sine humanis præsi-
diis. Sed teneamus eas consolationes, quas
DEUS toties Ecclesiæ tradidit : Ego gestabo, inquit,
ego feram vos etiam in senectâ : quâ descriptione si-
gnificat, majorem fore imbecillitatem senio
confectæ Ecclesiæ, & tamen se nobis adfuturum
esse,

esse, ut non dubito. *Petrus* tuus magno orna-
 mento est *Academiae* nostræ, ut edita ab ipso *Car-*
mina ostendunt. Ac vicissim libenter nos i-
 psam ornabimus. *Adolescentem Gelnhusensem* præ-
 dicat mihi *Petrus*, & ego studia ejus inspiciam.
 Mitto tibi *libellum historicum*, cujus lectionem
 spero tibi non ingratham fore. Benè & feliciter
 Vale. Die XIII. Augusti.

Ad eundem

Reverendum Virum,

PETRUM LOTICHIUM, AB-
 BATEM in Ecclesia Monasterii, cui Im-
 perator CAROLUS MAGNUS fun-
 dator nomen indidit

SOLITARIÆ:

Philippus Melancton.

CUM FRANCI tenuere pulcra regna,
 Ora Tentonicaq; Gallicaq;
 Clari justitiâ, modestiâq;
 TEMPLA in saltibus, & SCHOLAS piorum,
 Per quos Fulda fluit, petens Visurgim,
 Insigni pietate collocârunt,
 Veri notitiam DEI serentes,
 Et vitæ documenta sanctioris.
 Hûc Reges quoq; sæpè commeabant,
 Doctorum sapientiâ fruentes,

Hymnos

Hymnos inter & hos choros sonantes,
Cum tyronibus, aureis in armis.

Aetas aurea Principum bonorum

Hæc exempla dabat sequenda plebi.

Hi, cum bella movere erat necesse,

Ausi magnanimi cedere pugnas,

Donarunt patriæ suæ cruorem,

Inter prælia dexteras regente

Te CHRISTO iuce, quem simul vocabant,

Vt soli tibi figerent trophæa.

Rursus, tempore pacis, ordinabant

Doctrinæ studium, foriq; jura.

Hei! quàm dissimiles habet Monarchas

Effolti modò seculi senectæ,

Ignavos, stolidos, & inquietos,

Titanum similes, DEO minantes,

Spreto fulmine, syderum ruinas!

Multos namq; DEI necant ministros,

Quos stellas Daniel vocat Propheta.

Nec morem retinent sodalitates

Vestræ, quem sapiens probat vetustas:

Multæ sed similes videntur esse

Circæis stabulis canum, suumq;:

Ac ut Grillus ibi priora membra

Non vult restitui sibi, videmus

Sic spurcos aliquos manere Grillos,

Spernentes sapientiam, DEV Mq;.

Solus LOTICHIUS SCHOLIS & ARIS

Doctrinæ studium, DEIq; honores

Reddit, fictitiis Deis remotis,

De-

Depulsisq; sophisticis tenebris.

Hunc tu **LOTICHIUM** tuere, **CHRISTE,**
Aeterno πατερ nate de parente!

Scriptum in *Solitaria*, 11. d. Decembr., Anno M. D.
LVII.

Clarissimo Viro,

D. PHILIPPO MELANCHTO-
NI, SS. Theologiæ, & bonarum Arti-
um Professori: Domino, & amico
tuocolendo:

PETRVS LOTICHIVS, ABBAS
Monasterii Solitariensis.

S.

JUvenishic *Ioannes Hetténus, Gröningensis,* co-
lendissime *Præceptor*, cum jam haberet iter
ad vos, petiit á me, ut qualibuscunq; meis lite-
rulis aditum sibi ad tuam dignitatem præpara-
rem. Itaq; cum proximâ affinitate mihi, & me-
is *nepotibus, Doctori Petro Lotichio, & Christiano,* fra-
tribus, junctus sit, & de se bonam spem Chri-
stianæ pietatis, & honesti studii, præbeat,
commendo illum tibi *Domino, & Præceptor,*
quem omnes Studiosi meritò amare, & obser-
vare debent, ego verò in primis amo, & vene-
ror, quod quotidianæ preces meæ, corám **DEO,**
& sanctis ejus *Angelis,* testantur. Res nostræ in
mediocri statu sunt. Quatuor millia equitum
no-

nostram *Solitariam*, unâ cum *Duce Saxonia*, permeârunt, & providentiâ *Comitis Hanovia*, qui mihi, & meis magnoperé favet, illæsi, quantum fieri potuit, permansimus. **DEUS**, æternus *Pater Domini nostri JESU CHRISTI*, per *Sanctum suum Spiritum*, mentes *Regum*, & *Principum* gubernet, ad nominis sui gloriam, & salutem piorum! *XII. d. Julii. Anno Salutis nostræ, M. D. LVIII.*

Reverendo Viro,
PAULO EBERO, SS. Theol. Do-
 ctori, & *Ecclesiæ Witebergenſis*
 pastori: Domino, & amico
 colendo:

PETRVS LOTICHIVS, ABBAS
Solitariensis.

S Alutem per **CHRISTUM**, **DEI** filium, *Servatorem* humani generis unicum, *Ornatissime Ebere!* Mitto ad vos *Witebergam* honestum juvenem, *Ioannem Glomperum*, nostræ *Solitariensis Ecclesiæ* alumnum, quem à pueritia sua apud nos in patria alui, & bonis studiis, maximè *Christianæ pietati*, se omninò devovere & iussi, & volui. Cæterùm, cùm hætenùs ope, & promotione *Reverendi Viri, Domini Philippi Melanctonis*, in ejusmodi literariis negotiis, usus fuerim, & ille vir, omnium studiorum eximius fautor, & patronus, in meliorem vitam
 trans-

translatus sit, majorem in modum *T. Dign.* rogo, jam nominatum juvenem commendatum habere velis. Quod propensiori animo te facturum scio, si cognoveris, quantâ ego solitudine, & labore, omnibus viribus annitor, ut in rustica nostra, tamen pia patria, sincera *Domini nostri JESU CHRISTI* doctrina, & purus *Sacramentorum* usus, sonet, propagetur, & perduret. Ad tam sanctum, inquam, *Ministerium* hunc juvenem imbui, coalescere piissimis votis expeto. Quod apud vos commodè fieri posse, dubitare non debeo. Opto, te feliciter valere, *Ornatissime Pastor!* Ex nostrâ *Solitariâ*, *XIV. Maii, Auno, M. D. LXV.*

Reverendo PATRI,
D. PETRO LOTICHIO, AB-
BATI Solitariensi, Domino, &
 amico suo:

Georgius à Boyneburg, in Longsfeld,
Equ. Aur.

S.

Reverende Domine, ob varias domesticas, & alias etiam, occupationes, quibus post discessum meum districtus fui, hætenus *Paternitati Tuæ* mihi scribere non licuit. Si igitur tu, unâ cum omnibus tuis, quàm rectissimè valetes,

res,

res, esset profectò mihi mirificè gratum. Dici enim non potest, quàm primus tui congressus cum morum comitate, tum etiam colloquii suavitate, mihi placuerit, inq; tui amorem, nescio quo genio, planè rapuerit. Arque id eò magis, quod videam, te eo loci planè *Meccenatem* quendam agere, qui nihil non, ob promovenda bonarum literarum studia, impendere, atq; omnes *Studiosos*, pro tuarum facultatù modulo, sublevare soleas. In quam rem etiam, veterum *Cænobiorũ* exemplo, *Scholam*, non incelebrem, tuis sumptibus erexisti. Quo certè nomine ab omnibus bonis & amore, & summâ commendatione, es dignus. Utinam autem omnes tui ordinis *Abbat*es eundem adfectum ergà bonæ spei pueros innatum haberent, fieret haud dubiè, ut res & sacræ, & prophanæ, in meliori rerum statu passim conspicerentur: quæ tamen proh dolor! nusquam ferè nõ deploratè frigent. Et nisi *D E U S* aliquis propitius benignè prospiciat, jam jam exulare incipiunt. Verùm de iis fortè aliàs commodiùs, & fusiùs. De *N. Donato*, & *Turcarum Alcorano*, coëmpto, est, quod tibi magnas agam gratias, fortè etiam, sicubi facultas, & occasio sese obtulerit, relaturus. Quàm enim utrumq; librum diu, & anxie exoptaverim, vix eloqui possum. Et ecce! præcor omnem meam expectationem, tuâ munificentia in utroq; voti compos

I

fio.

fio. Facies igitur rem mihi, & meis studiis in-
 primis, gratam, si præsens tabellarius, quem ob
 hoc solum ad te misi, eos *libros* ad me perferat.
 Erunt ii, id quod certò tibi persuadebis, ami-
 citiæ dudùm inter nos, ut spero, bonis avibus
 cœptæ, atque in posterum sanctæ, & perpetuò
 etiam conservandæ, præsentia, & incommu-
 tahilia pignora, ità ut inter legendum P. L O-
 T I C H I U M, nuper agnitum, & amatum, ami-
 cam, sedulò memoriæ meæ, nunquam intermo-
 rituræ, obversari contingat. Quod reliquum
 est, precor P. T. omnia fausta, feliciaq; , & in-
 primis *Domini* benedictionem, cum sincera, &
 sana illius verbi cognitione. Id quod, ut anim-
 adverti, & diligere, & pro viribus etiam tueri,
 soles. Quem pium tuum conatum *Dominus* si-
 ne dubio in salutē tuam, & gloriā nominis sui,
 perpetuò fortunabit, & etiam conservabit.
 Mea officiola si qua in re tibi prodesse pote-
 runt, ità præstabo, ut nihil defuisse voluntati
 benevolæ re ipsâ sis comperturus. Salutabis
 meo nomine omnes tuos, & in primis D. *Docto-*
rem, P. Lotichium, Nepotem, cujus ingenium, eru-
 ditio, & mores, non vulgariter placuerant. Et
 est spes, illum aliquando rem *Medicam* suis cõ-
 mentariis illustraturum esse. Benè vale, & si
 vacat, rescribe. Properanter, ex *mea Arce*

Longsfeldiana, VII. Kal. Septembr. Anno

M. D. LVI.

ILU-

Illustri, & Generoso,

D. REINHARDO, COMITI in
Hanavv, & Rhieneck, Domino in
Müntzenberg:

PETRVS LOTICHIVS, ABBAS

Ecclesiae Solitariensis,

S. D.

CUM T. G. me nunc vehementer amare
incœperit, *Generose, & Optime Comes*, id
cogito, quod & nunquam obliviscar, ut mu-
tuo amore, & obsequio tuæ amantissimæ hu-
manitati respondeam. Est autem DEUS no-
ster testis, quod indefinenter precor, & oro, ut
T. G. quàm felicissimè valeat, & ab omnibus
incommodis protegatur. Sic enim pium est
sperare, & petere, ut te, & fratrem *Philippum*,
habeamus veros, & illustres dominos, qui no-
stram patriam ab hostibus defendant, ut ma-
lis hominibus nullus sit locus, & boni ho-
nestam, & tranquillam, vitam agant. Amen.

Iterum Vale. Scriptum *Solitariae*, XI.

Iulii, Anno, M. D. LIX.

I 2

P. LO.

P. LOTICHIUS, ABBAS

Solitariensis:

*Reverendis, & Honestis viris,
ac Dominis,*

PRIORI, ET CONVENTUI

Solitariensis Cœnobii: dile-

ctis suis.

S *Alutem.* Non admodum corpusculo meo
convenienti equitatu, veni *Hanojam*, ubi
communicato cum *Magnatibus* consilio, non
infrugifera visa est *Spiram* profectio. Scitis e-
nim in nostro Cœnobio, & Ecclesia Solitariensi, mul-
ta esse, quæ opus habent consilio, autoritate,
disciplinâ, protectione, & studio singulari.
Illis præmeditandis, & constituendis, non so-
lus sufficio. Vos interim, in mea absentia, il-
lud agite, quod viros decet pietate præditos,
honestis moribus, & honestate ornatos. Decet
enim vos non solum verbo, & doctrinâ, sed
etiam exemplo, formare rudes, & præmon-
strare iter salutis. Valete fœliciter! Data *Hano-*

je, Sabbatho, post festum Matthiæ Apo-
stoli: Anno Virginæ partûs,

1542.

Reve-

Reverendissimo in CHRISTO Patri,
ac Domino,

D. CONRADO, ELECTO,
& confirmato, Episcopo Herbipolen-
lensi, & Orientalis Franciæ
Duci &c.

P. LOTICHIVS, ABBAS
Cænobii Solitariensis.

Salutem, & debitam obedientiam! Inter alia incommoda, quæ temporum calamitas nostro ævo induxit, *Excellentissime Præsul*, illud multis lacrymis dignum videtur, quod passim conqueritur, & experitur paucitas & penuria *Presbyterorum*, qui Ecclesiasticis ministeriis, & parochiis, præficiantur. Hæc sollicitudo me præ aliis plus urget & extimulat, qui *Solitariensis Ecclesie* qualiscunque minister sum: nec est, quo possim subterfugere, aut recusare, sed, quâ possum industriâ, cogor *Diaconos*, & *Presbyteros* alicundè vocare, aut, quod propius est, noviter instituire. Mitto autem ad *V. R. Cels.* præsentibus duos juvenes, unum *Cænobii* mei professum, *subdiaconatus* ordine initiandum, alterum de plebejo ordine vocatum, *Lampertum Rube*, de quo ne præposterum suspicari possit, res sic se habet: Defunctâ primâ uxore, quam virginem duxit, certo decreto recusavit, & hætenus re-

cusat superinducere secundam: sed amico-
 rum consilio, firmoq; sui ipsius proposito,
 optat adire, & repetere honesta studia, olim
 sibi degustata, non aliâ ratione, quàm ut his,
 & aliis, quæ huic negotio conveniant, refor-
 matus & excultus, posset aliquâ *Ecclesie* CHRIS-
 TIANÆ gerere curam. Cæterùm, cum non teme-
 rè hanc provinciam sibi ingrediendam esse,
 cerneret, me subindè rogavit, ut confirman-
 do huic proposito (ut videtur) pio non deesse
 velim. Porro, cum in nostro *Cænobio* prophana
 ministeria hætenus curârit, neq; vulgatis vi-
 tiis, quæ sanctis ministeriis ex diametro repu-
 gnant, & ordinationem denegant, coinquina-
 tus sit, non potui non accedere illius sententiæ,
 maximè, cum bonis viris obsidibus publicè de
 se testatus sit, susceptos divinos ordines sacris
 studiis, & honestâ (ut decet) conversatione, sic
 se exornaturum, ut non scandalum, aut derisio-
 muratæ vitæ, sed ordinis ornamentum, & æ-
 dificatio, subsequi debeat. Et ego, quæ ad hoc
 vitæ genus instituendo ipsi desunt, in nostro
Cænobio Solitariensi eum, citrà invidiam, conse-
 qui debere, bonâ fide polliceor. *Vestram* pro-
 indè *Cels.* humiliter rogo, ut utriusq; votis ad-
 nuere, & præscriptum juvenem meo nomine,
 ut prædictum est, primis ordinibus initiandû
 admittere dignetur: quam nos DEO OPT.
 MAX. commendare piis precibus semper me-
 mores erimus. *Solitariæ, Anno, 1538. Mense Decem-
 bri.*

E I D E M

Reverendissimo in CHRISTO Prin-
cipi, ac Domino,

D. CONRADO, EPISCOPO
Herbipolensi, & Orientalis
Franciae Duci &c.

PETRVS LOTICHIVS, ABBAS
Cænobii Solitariensis:

S. D. P.

EX superioribus meis literis, *Reverendissime*
Princeps, R. T. *Celsitudo* intelligere dignata
est, quo labore, & diligentia, divini verbi *Mini-*
sterium, & sacrarum rerum administrationem,
in qualemcunq; ordinem, zelo Domûs DEI
permotus, in meo loco redigere, & compone-
re, necessarium duxerim. Quando verò quasi
per manum acceperimus, qualis sit ratio vo-
candorum, & instituendorum, Ministrorum
Ecclesiae CHRISTI, haud inanem operam me
collocaturum, arbitratus sum, si & hanc ra-
tionem, & regulam, imitari conarer. Vocavi
igitur, cum aliis, hos duos juvenes, ad publi-
cum *Ministerium*, feci q; ut *Christianâ* doctrinâ,
literis, & pietate, probè instituerentur, & ta-
les formarentur, quibus tutò committi possit
fidelis, & sana doctrina, & animarum sollicitu-

I 4

do.

do. Cæterum, si quid illis deest, quotidiana accessio auctura est. Jam T. R. Cels. humiliter rogo, illos benignè suscipere dignetur, & majores illos ordines *Subdiaconatus* conferre. Sunt autem *Cænobio Solitariensi* omninò conscripti, & inserti, ut, cujus operâ aluntur, eidem perpetuò interserviant, ut nihil omninò de illorum vitâ, conversatione, victu, aut beneficiis, dubitandum sit. Ego porrò, in toto harum rerum ordine, non meum, sed **JESU CHRISTI** *Servatoris* nostri, & *Ecclesie ipsius*, negotium, ago, & profiteor, ad quod T. R. Cels. *Ordinarium*, & *Episcopum*, meum clementissimum, humiliter, & libenter agnosco, & veneror: quam **DEUS OPT. MAX.** nobis diu incolumem conservet! *XIX. Septembr. Anno, M. D. XLIII.*

Clarissimo Viro,

JACOBO MICYLLO, in Acad.
Heydelbergensi Professore:
amico suo:

PETRVS LOTICHIVS, ABBAS
Solitariensis:

S. D.

Volebam in hoc mense proficisci *Francofordiam*, & invitus detineor, propter temporis malitiam, & hominum perversa studia. Quo-
ties

ties, peregrè profectus redeo, invenio res meas turbatiores. Versantur circá me observatores, & hypocritæ, perniciosissimi, nihilq; quærentes, quàm accusandi ansam. Quid in medio insidiatorum faceres? Bonum non intelligunt, & , quemadmodum de propriis malis , ita de proximi bonis , tabescunt. Ad aliorum virtutes, & pios conatûs, æquam voluntatem afferre prohibet illis Sathan, sed ringi, & condemnare permittit. Ab his calumniatoribus malè instructus *Reverendissimus Episcopus meus VVürtzburgensis*, nescio quid, in condemnationem mei, proferre, & pronunciare, dicitur. Quare quidam boni homines, solliciti de mea vita, statu, famâ, & ordine, adhortari solent, ut non omnibus me credam, structas esse insidias, videre, quando, quó, quomodo, equitare velim. Misi literas *Herbipolim*, & minas recepi. Omnes clamant, opus esse reformatione, & non volunt pati debitam, & necessariam, reformationem. Ego autem gratias ago, & laudo DEUM meum, per JHESUM CHRISTUM, filium ejus, quod me fecit amare verbum ejus, & dedit intellectum, & ingenium pueris, ad intelligendam sapientiam, & honestas illas artes, quibus servatur CHRISTI cognitio, & augefcit vera pietas. Vale fœliciter. Ex *Solitaria*, XIX. Octobris, M. D. XLIII.

Ls

Et-

E I D E M
 JACOB O MICYLL O, suo:
 PETRVS LOTICHIVS, ABBAS
Solitariensis:

S Alutem, per CHRISTUM, DEI filium,
Servatorem nostrum! Clarissime Vir, Iulium fi-
 lium, juvenē doctum, & honestissimum, nolui
 absq; meis literis ad te parentem, benè meritū,
 venire, primò, ut te, ob veterem nostram ami-
 citiam, humanissimè salutarē, deindè, ut mo-
 res illius compositos, integritatem, modesti-
 am, & in bonis studiis diligentiam, fidem, &
 multa, non inferiora, quæ parenti oblecta-
 mento, & gaudio, esse possunt, tibi prædica-
 rem. Sunt præteacà alia, quæ te scire velim:
 Ea filius coràm exponet, & de nostris rebus
 significabit. His opto te, cum totâ familiâ
 tuâ, quàm fœlicissimè valere. *Solitariae, ipso die*
Pentecostes, Anno Salutis, M. D. LVI.

Reverendissimo Viro,
 D. PETRO LOTICHIO, Cœ-
 nobii Solitariensis Abbati:

Jacobus Micyllus, Acad. Heydelberg.

Professor:

S. D. P.

C Um à nobis hinc discessurus esset M. Chri-
 stianus, officii mei putavi esse, ut T. H. per
 eun-

eundem literis salutarem. Neq; enim me im-
 memorem esse decebat ejus, à quo multa, ac
 magna, beneficia accepissem. Sed hæc alteri-
 us temporis, & loci. Venit hûc CHRISTIA-
 NUS, ut in tuto ipse esset, ac studia sua profe-
 queretur, sed media tempestas eum hîc exce-
 pit. Itaq; cum omninò illi perichitandum fo-
 ret, maluit domi, & apud suos, quàm foris, pe-
 riculum expectare. Qua in re prudenter eum
 facere judico: facit enim, quod alii multi, &
 boni. Et insania quidem foret, cum malum e-
 vitari possit, ultrò in id incurrere, ac seipsum
 præcipitare, velle. Audio DN. PHILIPPUM
 apud T.H. aliquandiu hæsisse: pro qua re gra-
 tias T.H. ago, quòd illum talem secum per-
 tulit. Benè Vale, vir *Humanissime*, idemq; *Re-
 verendissime*! Heydelbergæ, VI. Id. Decembr.

PETRUS LOTICHIUS,
 Abbas Solitariensis:

Reverendo Viro,

*MATTHIÆ LIMPERGIO, Ec-
 clesie Mæno-Francofurtensis*

Pastori:

S. D.

Cum hunc puerum *Friderichum Danieleum*,
Venerabilis Matthia, missurus essem *Halam*
Saxo-

Saxonum, ut cum æqualibus istic *Scholas*, (quas audio huic hominum generi benè constitutas) adiret, quidam tuam humanitatem, & in *Scholasticos* animi favorem, nimis opportunè prædicare mihi cœpit, adeò, ut deposito pudore ausus fuerim ad te scribere, & puerum tibi cõmendare. Est quidem serò literis discendis traditus, attamen desperandũ non puto, quando diligentia refarciri potest, quod negligentia suspensum fuerat. Ego hætenus omni studio, & labore, sumptibus & vigiliis, meditari cœpi, ut populus de sanã doctrinã & verã agnitione **CHRISTI**, *Salvatoris* humani generis, gauderet, & certus esset. Verùm, ubi sumenda hæc armatura, & facultas? Cæcus cæco viã nõ monstrabit. Aperiendi erant oculi, literæ discendæ, scriptura amanda, multorũ odia sustinenda. Et hætenus eò promovimus, ut rudis hæc nostra patria gaudeat de aliquot doctis, & piis, ministris. Mitto tibi exemplum, quæ *Antistiti Fuldensi* inscripseram. Libenter autem à piis, & doctis, viris judicari sustinemus, & agniti esse. Mitto etiam, quæ *P. Lotichius*, ex fratre *Nepos*, in *natalem Salvatoris nostri*, scripsit. Ex quibus con-jicere potes, qui sint nostri conatũs, & quòd populum nostræ patriæ, nobis commissum, verè populum **DEI**, qui vocem **CHRISTI**, summi pastoris, audiat, esse, & permanere, cupiamus. Vale foeliciter! *in feriis Paschatos, Anno Redemptoris, M. D. XLIIIX.* Cla-

Clarissimo Theologo,
PETRO LOTICHIO, AB-
BATI Solitariensi:

Matthias Limpergius:

S. D.

Valentinum Collobium, affinem, imò filium
 tuum, & risu, & osculo, excepi, Pater Re-
 verende! Nam, quicquid abs te proficiscitur, mi-
 hi carum est, & sacrosanctum. Vehementer
 tamen placuit tua illa, planè pia, atq; , ut ità
 dicam, viscerosa, commendatitia *Epistola*, quâ
 nobis non obscurum facis, quàm tibi cordi sit
 pietas, atque charitas, Christiana. Cæterùm,
 quæ in suavissimis tuis literis mihi tribuis, non
 agnosco, non ignorans,

—————quàm sit mihi curta supellex.

Optârim verò, si quid votis possim assequi,
 donorum tuorum umbram, aut nubeculam
 quandam, divinitus mihi dari: adeò nihil est
Limpergius, si tibi, viro, tanto prædito spiritu,
 conferatur. Donet CHRISTUS igitur, ut
 vel aliqui ex *Ecclesiæ* proceribus T. D. sibi, in ex-
 emplum, proponant, quem imitentur. *Valen-*
tinus a. erit mihi multis nominibus commen-
 datissimus, qui si me audierit, uti non dubi-
 to, adero homi, tanquàm filio carissimo. Dici
 non potest, quàm placuerit, manu tuâ conscri-
 ptus,

ptus, *Catalogus Presbyterorum, & Diaconorum,*
veræ Ecclesiæ: de quo aliquando, aspirate **CHRISTO**,
 coram. Cupio videre *T. D. Francofurti:*
 quam utinam liceret excipere hospitio! Benè
 valeat, cum universo *Cœnobio! Amen! II. post*
Quasimod.

E I D E M

PETRO LOTICHIO,

ABBATI verè Christiano:

Matthias Limpergius,

S. D.

ATtulit mihi literas tuas, *Vir Ornatissime,*
Iohannes Gassius, communis amicus noster,
 atque, ut ità dicam, quod res est, multis no-
 minibus mihi fuerunt gratissimæ, tum, quòd
 ab amico, eoq; viro præstantissimo, tum ab
 homine Christiano, maximoq; *studiorum, &*
STUDIOSORUM, PATRONO, proficisceren-
 tur. Multos hodiè invenias *Episcopos, Abbates,*
Prelatos, opulentos, & prudentes, viros: at,
 quotusquisq; est, cui cordi sit pietas, qui florem
 juventæ erudiant, Christianismum confite-
 antur? In quibus summis virtutibus te regnare
 video. Verùm, de hoc aliàs. Quæ noster *Gas-*
sius ex literis *T. D.* attulit, narravit, quæq; *T. D.*
 scripsit, impendiò placuerunt. Habet me *T. D.*
 paratum, & accinctum, in omnem sortem, o-
 mnem

mnem eventum. Reliqua narrabit D. *Gassius*,
viva Epistola, cum quo mitto multa, quæ hoc
die attulerunt *Chatti* nostri. Benè valeat T. D.,
cujus precibus me commendo. *Francofurti. II.*
Novembr.

E I D E M

PETRO LOTICHIO, AB-

BATI Solitariensi:

Matthias Limpergius,

S. D.

QUòd, pro ineruditâ meâ *Epistolâ*, tuo bene-
ficio, accipio eruditissimum, numerisq;
omnibus absolutissimum, *carmen*, *Reverende Pa-*
ter, gratias utriq; ago, *Perto Poëta*, ut auctori, T. R.,
ut omnium *studiorum*, *studiosorumq;*, *Mecænati*.
Atq; hîc ô te felicem! cui tam eruditus conti-
git *Nepos*, qui *familiam* vestram suis ornat *Car-*
minibus, commendatq; posteritati. Ego sanè
magnum quiddam de hujusce adolescentis in-
genio mihi polliceor. Rectè igitur cecinit ille:

Sint Mecænates —————

Placuit *Petri Secundi* *Carmen*, placet inventio,
redolet enim *Ovidianam* quandam suavitatem:
atq; facilitatem, quæ, post D E U M, omnia ti-
bi acceptum fere debet: Dolet verò, tam a-
musum me esse, qui homini respondere ne-
queam, & illius eloquentia me à respondendo
deter-

deterruit. Verùm de hoc aliàs, & ut spero, in futuro mercatu. Interim valeat T. R. P., cui me multis nominibus commendo. Mitto *Sacchari* condimenta cum *Trochiscis*, ad tuendam tuam valetudinem, atq; utinam etiam immortalitatis Nectar Ambrosium: idq; in emolumentum *Ecclesie DEI*. Rogo tamen, tale munusculum, boni consulas: debet n. esse pignus amoris mutui inter nos, tibiq; ansam præbere tuendi corpusculis. Est n. cura habenda *Cerebri, Cordis, Stomachi, Spiritûs*. *Musici* curam vocis habere solent, *Athletæ* brachiorû, *Cursores* crurû: *Miles* insuper equos, & arma, *venator* canes amat. Soli *Musarum* cultores, (facinus!) breviter, omnia membra turpiter negligunt. Reliqua omnia diligenter curabo, & missurus sum cum vestris aurigis. Sunt, qui dicant, LUTHERUM nostrum in *Isleben* mortuum, & sepultum: id quod fero dolentissimè, & vereor, ne non malû sit præsagium, & omen universæ Germaniæ. O nostram ingratitude! Audio porrò ex *Laurentio, T. Dign*, BIBLIOTHECAM, bonis Autoribus refertam, sibi, & posteris suis, adornasse: cui si universa *Erasmi opera*, à *Frobenio* excusa, atque in IX. Tomos digesta, (opus planè Regiâ Bibliothecâ dignum!) reliquis utriusq; linguæ Autoribus, veluti colophonem aliquem, adjicere voles, fac, non ignorem: missurus sum ista, nuper pulcherrimè colligata, & ad umbilicum ducta.

Salu-

Salutabis meis verbis nostrum *Secundum*, Poë-
tam. Laureâ planè dignum, cum omnibus Col-
legis, & Subditis. *Francofurti.*

*Reverendo, & Pietate præstantis-
simo Viro,*

**D. PETRO LOTICHIO, A B-
BATI Solitariensi, Domino suo
colendo :**

*Philippus Enneobolus, verbi
Minister.*

CUm nuper Bidingæ essem, Reverende Domi-
ne, fortè fortunâ Iohannes Bavarus, Vsingeni-
us, parochus, me convenit, quem tandem, col-
loquio finito, eâ ratione, atq; cōditione, abire
sum passus, ut absoluto isthic negotio, quod il-
li, ob *Parochiam Steffsberg*, vobis vicinam (no-
men non benè memini) contigerit, transiens
me salutaret. Cur autem promissis non satisfac-
cerit, nescio. Interim tamen audio, non esse
futurum, ut *Bavarus* revocetur. Age, vellem
equidem omnibus *Ecclesiis* esse consultum: quo
fit, ut nudiùs tertiùs *Ornatissimus Vir, D. Melan-
chton*, quendam fratrem mihi anxie commen-
dârit. Is præfuit *Ecclesiæ Cronbergensi*, cum com-
mendationis literis, nisi peculiari morbo illas
deperirem, ad te jam dari curâsem. Sed pro-
fectò te non fallo. Ego, officio charitatis in
K illum

illum non neglecto, atque æstivi temporis ratione habitâ, illius viri sum misertus, tandem consului, ut optimo animo esset, suaq; tuguria repeteret, polliceor illi, me ad te scripturum, ut tandem constaret, an prædicta *Parochia* vacaret: Item, an ipse huic *Ecclesie*, tuo mutui, & contentu præfici posset. Nam te *Patronum* esse, apud me extrâ controversiam est. Jam id facio tam diligenter, quàm quod omnium diligentissimè. Quod ad viri illius commendationem attinget, est homo integer, & eruditionis mediocris, cui plus voluptatis est domi esse, quàm *Taleros* visere, &, nisi me fallat, pietatis zelo plenus. Accesserunt commendationi, quam à *Melanchtone* habet, alia testimonia, quæ secum habet, profectò integra, & fide dignissima, quem *Bucerus Bonnæ*, vel alibi, in aliam *Ecclesiam* constituisset. Sed illi cum *Coloniensium* linguâ, & idiotisimis, non convenit. Quare, si per te steterit, præfatam *Parochiam* elocare, si vir ille, & frater, tibi placuerit, quando meo sumptu ad te præsentem tabellionem mitto, rescribe, & latis diffusè. Item, si fieret, ut vobis spiritualia seminaret, quid, & quantum stipendium, esset illi sperandum. Rescribe, inquam, diligenter: nam scio te *Melanchtoni* suprâ modum gratificaturum. Tu, quicquid ad me jam scripseris, quod etiam, ne procrastines, plurimum te rogo, (nam mota illi nociva) ego, quamprimum

mum

mum ad virum illum deferri curabo. Sunt, nisi falsò animus prælagiat, causæ, quæ *Bavarum* impedire possent, à quibus illum alienissimum esse scio. Vale felicissimè, humanissime *Domine*, & , juxtà illum, cujus gratiâ literas, de *Parochia* vacante, scribo, me, ex causis, non semel revelatis, commendatum habe. Iterum *Hanovia*, festo *Iohannis Baptiste*, Anno, M. D. XLIII.

PETRVS LOTICHIVS, ABBAS
Solitariensis:

Adolario ab Ottera, Secretario
Fuldensi:

S. D.

NOsti tu, *humanissime Adolarie*, quæ sit hisce temporibus *Ecclesie* facies, non qualem desideramus, sed quam patimur, & ferre cogimur. *Reformatione* omnes opus esse clamant, multi attentare videntur, quidam æmulantur, quidam resiliunt, quidam suspensis animis pericula devitare satagunt. Utri horum **CHRISTO** addictiores sint, & in regnum **DEI** magis violenti, aliorum esto iudicium. Audio, & video, quid alii agant, & sentiant, neq; difficile est iudicare, quid futuris comitiis *Imperii Potestates* tractandum ad jus vocaturæ sint. Prætereà, talis videtur timenda rerum confusio, ut sancta nostra *Religio* omnes nos ad hanc con-

K 2

cessio-

fessionem cogere velle videri meritò possit: *Se non pendere velle ab ullo humana sapientia, judicii, & excellentia, presidio.* Quid enim, quæso te, fœliciter hætenus promoverunt, qui, neglectâ Religionis curâ, satis prudentes, & fortunati nobis videntur? An immobiles illos futuros putas? An sic stabilitos, ut nihil illis desit? Repudiatis illis, in illorum studia oculos conjicere soleo, qui quantò potentiores, juxtâ seculi dignitatem, tantò submissiores se, suosq; omnes, *crucifixo Regi* servire, & verum DEI cultum instituere, jubent, summoq; Imperiorû splendori, & nominis existimationi, anteponunt. Neque ego illos imprudentes judicio. Ajunt enim, venturos esse dies, in quibus, præter charitatem DEI, & animi bona, quicquid possessionum sit, non esse tutum, sed rapinæ, interfectioni, obnoxium. Scribo a. hæc, *Optime Secretarie*, ut intelligas, me semper animum vertere ad magnos illos *Principes*, qui prædicantur esse pii, quid consilii de illorû gubernatione, reformatione, & amore *Evangelii Domini nostri JESU CHRISTI*, captandum nobis sit. Nam *exemplis ut multum movemur, ita non parum erudimur.* Ajunt autem *Electorem Brandenburgensem* illis annumerandum, qui cum fructu aliquo veram pietatem colunt. Hujus *librum de reformato ordine rerum Ecclesiasticarum*, quem Reverendo Principi ac *D. Antistiti Fuldensi, Dn. meo clementi*, visendum trans-

trans-

transmisi, captâ opportunitate, cum honoris
præfatione, ab illius *Rever.*, pro tuo officio, mi-
hi remittendum operam dare non graveris, a-
mabilis *Adolarie*! Insunt enim huic operi, de E-
piscoporum officiis, quæ relegere cupio. Vale. *So-*
litariis, in *Feriis purificationis Mariæ*. M. D. XLIV.

PETRVS LOTICHIVS, ABBAS
Solitariensis:

Multis virtutibus ornato,

EWALDO CREUTZE.

NAVERO,

Reverendiss. Præsuli Herbipolensi à Se-
cretis: Amico præcipuo:

S.

A Ccepi literas tuas, *Amabilissime Ewalde*, qui-
bus absentiam tuam à collegio patrum
nuper in *Novistadio* excusas. Porrò, illic me de-
siderium tui, inter pocula, inter benedictio-
num acta, inter varias confabulationes, ma-
gis, ac magis, incendebat, quòd me tuis accom-
modatissimis moribus, qui rerum, personarum,
temporumq; , expertus es, quàm artemperato
animo immiscuissem. Subverecunda illa, de
affine tuo, admouitio: quicquid citrà jactu-
ram, atque opprobrium, facere possim, faciam.

K 3

Noli

Noli scrutari, mi *Ewalde!* res per se, & sicuti tu sentis, probè curabitur. De *Epitaphio* nihil video, quod cum erecto, tum prostrato, lapidi, addi, aut immutari, debeat, nisi quòd optârim, *Senarios Iambicos*, *Hexametro* subjuncto *Pentametro*, ut fiat *Dicolon distrophon*, & emergat in *Elegiacum Carmen*, cogi, & concludi. Est enim assuetior, vulgatiórq; horum pedum, ut nosti, connexio. Sed facito, ut lubet. Ego *Senarios*, nihil à sensu, aut numero, versuum aberrans, sic reddidi: Sed tu omnia judicabis. Senex tuus est mihi commendatissimus. Sorori tuæ gratulor felicem partum, prolemq; masculam, qui, levante *Eberhardo*, dum hæc ad te scriberem literas, in *Archangeli festo*, regenerationis lavacro purgatus est. Vale tu quàm felicissimè!
Data in die Michaelis, Anno 1542,

*P. LOTICHIVS, ABBAS
 Solitariensis.*

*JACOBO MICYLLO,
 S.*

ERuditam, & benè institutam, juventutem nervos *Reipubl.* esse, nemo sanus ignorat, *Amabilissime Micylle*, nisi forsan sint, qui pietatem quæstum, vitæ honestatem & æquitatem, ludibrium judicent, & interpretentur. Et quomodo multi boni præfagio quodam bonas doctrinæ

Arinæ & morū institutiones collabenti Chri-
 stianæ Reipubl. subfigendas esse, censeant, T.
 H. non infimum locum inter operarios neces-
 sarii hujus opificii obtinet, qui, vel altâ sorte
 spretâ, te proximiori fortunæ, atq; ruinæ, sup-
 ponis, & illud sagaciter parare studes, quo non
 solùm concussa Respubl., sed etiam collapsa,
 restitui posse, videri debeat. Pro hoc animo,
 cœlesti munere tibi dato, gratias ago D E O
 meo. Porro, cùm *Conradus Cremerus*, literarii
 ludi moderator in *Gelnhausen*, strenuus, eâ, quâ
 debet, diligentiam rudem juventutem formare,
 & bonis rebus aptiorem reddere, maximope-
 rē contendat, operæ precium censuit, multis
 consultis autoribus, simpliciori *Minervâ Gram-
 matices* instituta suis discipulis congerere, & ut
 omnibus usui esse possit, pro suâ in hac re soli-
 citudine arbitratus est, illas, qualescunq;, lu-
 cubrationes, typis evulgare. Et ne temerè quic-
 quam aggredi videatur, statuit, prius super hoc
 negotio te præceptorem, & magistrum suum,
 consulere, tuoq; auxilio, & consilio, uti. Cæ-
 terùm, cùm T. *Præst.* cum illo hætenus nulla
 contracta sit familiaritas, petiit à me, ut cùm
 ipsum, tùm ipsius studia, tibi suggererem, para-
 tum se esse, si digna censueris, quæ cederentur,
 cum Typographo contrahere, si autem secus
 judicaret tua dexteritas, tuæ voluntati, & judi-
 cio, obsequi. Mihi verò placent, quicunque

tandem labores, pro informandâ juventute, à quocunq; nobis communicantur. Quapropter *Cremerum* hortatus sum, ut, posito pudore, libellum in publicum emittat; hasq; ad *T. Præst.* audaciùs dedi literas, ut tuo auxilio auspiciatius evulgetur, quem brevi me visurum spero. *Ex Solitaria, feriis Epiphaniæ, Anno 1543.*

PETRUS LOTICHIUS,
Abbas Solitariensis:

Clarissimo, & Præstanti viro,

MELCHIORI KLINGEN, I. V. D.
celebri: amico colendo:

S. P.

VEnit ad me' *Conradus Rhegius, Gelnhusanus*, adolescens spectatæ indolis, profecturus *Witebergam*. Tam opportunum nuntium nactus, feci, ut affectûs mei persuaserant, salutare *T. Præst.*, quam rebus meis impensè favere non dubito. Jam te non latere, arbitror, quid veri amici salutando precentur. Precor ergò tibi, tuisq; tantùm placidæ fortunæ, quantum *Pr. T.* optare debet. Et nisi invidus es patriæ tuæ, haud aliter nobis precaturus es unquam. De literarum studiis, & pietatis doctrina, & quo tandem mundus ornatur, & regitur artificio, nnn opus est, ut aures tuas vellicem, cùm
in te

in te uno videamus, quàm non malè collocen-
 tur literari labores. Cæterùm, cùm mundus
 plenus sit *Iurisconsultorum*, *Sacrarum rerum docto-
 rum*, prætereà armatorum *Potestatum*, mirum
 videtur, quâ tandem ratione fiat, ut iniusti op-
 primant innocentes, & nemo defendat: Pie-
 tas frigeat, & nemo detestetur: Causæ pen-
 deant, & nemo explicet. Sed, quid ego descri-
 bo leges? Cùm instabilitatem vulgi, malitiam
 temporum, intueor, doctis, piis, & armatis le-
 gibus opus esse censeo: quæ si singula conve-
 niunt, & mutuam præstant operam, tùm mihi
 quidem videtur non nihil concordia subnasci,
 & Reipubl. cùm civili, tùm Ecclesiasticæ, su-
 um decus restitui. Hæc coràm T. *Præst.* garrire
 libuit: sed desinam, si illud priùs addidero,
vinum Cynonoton, à multis hoc anno ineantatum
 judicari. Nam, præter morem, molliter sub-
 intrat, & receptis viribus mirabiles exercet tri-
 umphos. Diceres, cives *Steinenses*, & vicinas
 agricolas, illi *Baccho* sacrificasse, quod ab isthac
 nostrâ patriâ omnes curas, omnem egestatis
 formidinem, propulsârît. De rebus meis tam-
 etsi variatis hominum moribus nihil certi pro-
 nunciari possim, tamen illud bonâ fide polli-
 ceor, me omnem adhibiturum diligentiam,
 ut in *Cænobio Solitariensi*, & subiectis *Ecclesiis*, non
 omninò desit studium literarum, & zelus pie-
 tatis, donec *DEUS Opt. Max.*, nostri misertus,

mundum reconciliet. Valeat T. *Præst.* cum dilecta sibi conjugē. Dab. *Schlüchtern*, quam veteres vocant *Solitariam*, X XII. Octobr. Anno 1536,

P. LOTICHIUS, ABBAS
Solitariensis:

Præstanti, & Humanissimo Viro,

THEODORICHO HESPERGIO,
pastori in Lar: amico colendo:

S.

Non me latet, *Amabilis Pastor*, quàm suavis sit in hac vita mortali amicitia sincera. Quis enim ejus rei commoditatem explicare poterit? Hoc, proæmii loco, dictum puta. Adjunt enim, illa *proæmium* esse appositum, quæ affectus scribentis primo impetu suggerit. Jam me pœnitet, quòd hætenús nõ omnibus modis te familiariter uti me adsuefecerim, maxime, cum nunc reipsâ experiar, quantũ possit solidior, & eruditior, doctrina, probatis conjuncta moribus. Ego enim nullâ aliâ tutelâ cum me, tum res meas, æquis iudicibus probari, & contrâ insidias fortiores, cautioresq; tutiorem fore, opinor, quàm si doctrinam fidei, & bonarum literaturam, me amare, & promovere, ostendam. Feci hoc hætenús, quantum licuit, nec desistam, quantum *Dominus* adjuverit.

Cate-

Cæterùm, cùm pulchros conatûs multi videant, multi non videant, multi persequantur, opus me habere video bonorum virorum testimonio, & auxilio, qui innocentia contra malitiam, eruditioni contra inscitiam, rectis conatibus contra malevolentiam, patrocinentur. In quorum catalogo cùm T. *Præst.*, se non posteriorem locum habere, sibi persuadeat, nisi non velis esse amator communis nostræ patriæ, & *Solitariensis Ecclesiæ*, quam tu sanctiori, & potentiori doctrinâ, & doctioribus ministris administrari semper precari solitus es. Jam, si vacat, cur non semel nos invisis, adsumpto, si placet, tecum R. *Abbate*, *Conrado*, in *Neuenstad*? Omnia mea consilia, instituta, & quid apud me censeam Ecclesiasticæ functioni fore adcommodum, coràm vobis exponam, nec meliora detrectabo. In tota *diocesi Cæ Fuldensi* nullus est, quo in hisce negotiis familiariter uti possim. Olim, ob frivolas causas, & dissimiles, conciliandas, confluebat chorus *Abbatum*, ut bellum, de lana caprina exortum, scilicet consopiretur. Hodiè, tot malis exciti, tot *Ecclesiæ CHRISTI* periculis concussi, tot exemplis admoniti, non convenimus, non conferimus, imò ne rogamus quidem. Interim tremuli, & languidâ conscientia officiis præsumus. De his hætenus. *Francofurdia* nihil extabat, quod non esset excusum priùs, nisi quòd

Nüren-

Nürenbergius Osiander bonam operam navavit, quatuor Evangelistis, in unum & concordem concentum redigendis, cui operi titulum præfecit *Harmonia Evangelica*. Quæ commoditas, meo iudicio, multum juvat, quibus suave est, CHRISTUM in carne videre ambulantes, & audire loquentem. Tu jam in eodem fœliciter vale!
Ex Solitaria, IX. Novembr., Anno 1535.

PETRVS LOTICHIVS, ABBAS
Solitariensis:

Præstantissimo Viro,
SIXTO KOLBENSCHLAGIO,
 Artium, & Medicinæ
 Doctori,
 S. D.

Vivit hætenus, Præstantissime Doctore, apud me sincerus ille, *Iohannes Femelius*, & ut spero, non tam ex animo suo, quemadmodum ex meo, vivit, precorq; ut non aliter res meæ illi placeant, atque ille, quantus quantus est, mihi. Haud temerè hodie invenias viros doctos, qui ipsius similes esse velint. At in illo viro habes doctrinam cum exemplo, exemplum cum modestia, modestiam cum omni æquanimitate, & igniculo. Et, qui tales sunt, non possunt displicere, nisi aut prorsus ignavis,

vis,

vis, aut parùm integris. Non, ut tibi hæc cõ-
 mendem, scribo, sed ut commendationi tuæ,
 de ipso factæ, suffragium magis afferam, atque
 congratuler. Proindè admonere illum, ut fa-
 cis, pergito, ne se facilè hinc pellicere patiatur.
 Spero liquidem, non pœnitere eum, quicquid
 nunc apud nos luserit, quùm multò aliter me-
 tiatur commoda, vitæq; vanitatem, quàm ple-
 riq; facere consueverunt. Sed hæc hæctenus.
 Cæterùm, *Ornatissime Sixte*, tuam præstantiam
 opto magis ac magis valere, ut multò plures,
 quos tuâ operâ reconualescere facis, teq; seq;
 valere gaudeant. *Ex Solitaria nostra, V. Octobr.,*
Anno Salutis recuperatæ, M. D. XXXV.

PETRO LOTICHIO, AB-

BATI Solitariensi:

Theodorus Hesperger,

S. D.

EXpostulas mecum, *Abba Clarissime*, quòd,
 quùm ex delegatâ mihi functione oportet
 esse vel *Stentore* ipso vocaliorem, inscribē-
 dis ad te literis complusculos jam menses *ranâ*
Seriphiâ plus fuerim mutus. Non inficior, scili-
 cet edoctus vulgato illo *Germanorum* proverbio,
 quo dicitur: *Principes viros oratione intempestivâ*
non esse defagitandos. Sed, extrâ jocum, agnosco
 inertiam meam, agnosco desidiam, fateor, de-
 liquisse

liquisse me in præscriptâ sinceræ amicitie legē. At, tui erit candoris, condonare, si quid per oscitantiam ab amiculo peccatum est. Ero, *JESU* benè propitio, posthâc in salutandis amicis officiosior. Quod admones subindè, ut cum *Abbate Conrado* isthûc proficiscar, eram meâ sponte facturûs, hætenûs per ocium non licuit. Sed jam expecto tempus, & diem, utrique congruum. Excusatiuncula civilitatis tuæ *Comiti* nostro adeò grata erat, ut nihil gratius. Ego de meo addidi, cupere *T. D.* ipsûm maximoperè hospitem, si aliquando istâc esset iter facturûs, id quod & mirum in modum delectabat herôa. Hoc, ne nescires, volui. Vale fœlicissimè! *Ex Lorico, IV. Non. Majas, M. D. XXXIIX.*

PETRUS LOTICHIUS,
Abbas Solitariensis:

*Evvaldo Creutznenavero, Ducali Her-
bipol. Secretario, S.*

Cæsarea Majestatis varias Institutiones accipi, Ornatissime *Ewalde*, & nihil magis opto, quàm *Romani Imperii proceres* parère legibus suis, & agnoscere *Imperatorem*. Quoties animo revolve, bona consilia, & instituta, perfidissimè negligi, & conculcari, toties me solatur, si quando qualescunque res meas non ex animi sententia cogere possûm. Nam, est aliquid,
cogno-

cognoscere vanitates rerum, & si non id, quod volumus, adsequimur, saltè meliora prosequi non omittamus. Dolet, cùm fortuna duorum summorum fratrum votis non responderet, at dolor abit, cùm eorundem pulchros conatùs prædicari audimus. Audivi calamitosum *Vngarici belli finem*: fortassis Rex plus fiduciæ, quam conveniebat, dedit ducibus belli, & hoc periculo edoctus, vanam esse spem in homine, discet. Jam ago causas cum fratribus *ab Hutten*, super decimis abalienandis. Hæc de re cōfectâ, pergam ad *D. Fuldensem*. Familiæ tuæ nihil deest, nisi quod non tatis approbo, affinem per totum mentem nunc abesse. Nam, circa *festum Lucie*, si non fallor, cum aurigis peregrè proficiscebatur, nec hodie rediit. Fortassis plus lucri facit, quàm domi pollicetur. Si quid novarum rerum habes, rescribe: non, ut vanitate condelectemur, sed ut calamitati compatiatur. *Dominus noster JESUS CHRISTUS*, ad sui nominis gloriam, mundum gubernet! In quo feliciter valeas. Ex *Solitaria*, post-

strid. Cal. Ianuar., Anno

1538.

Lite-

Literæ Testimoniales,

Ab Abbate

PETRO LOTICHIO,

Pedionæo Rhetor, data.

PETRUS LOTICHIVS, *divinâ bonitate Abbas in Ecclesia Solitariensi, omnibus piis, & bonis, lectoribus salutem! Pedionæus Rhetor si fortassis vos convenerit, humanissimi Amici, in nostro Cœnobio aliquot menses, cum aliis, humanarum, & divinarum, artium amatoribus, versatus est. Cæterùm, cùm jam, pro rerum suarum conditione, aliò se transferre vellet, petiit à nobis testimonium hujus suæ abitionis. Nos proindè fatemur, Pedionæum illum, pro tempore, quo hîc mansit, tam in re literaria, quàm in alia hujus vitæ consuetudine, honestè, & moderatè, sese gessisse, & tam nostrâ, quàm aliorum, æquabilitate, jam à nobis secessisse. Dedimus igitur illi has literas, nostro sigillo consignatas. Anno, M. D. XLIII. XIII. Decembr.*

PETRO LOTICHIO,

Abbati Solitariensi:

Erhardus Crispus, Egranus,

S. D.

Indicavit parochus hic noster, M. Conradum Ciesium, qui tibi, ut audio, probè notus est, cupe-

cupere, si quis locus illi apud te esse queat, tecum esse, operamq; suam, in instituendis adolescentibus tuis, dare: rogavitq;, ut id tibi meis literis significarem, oraremq;, ut hominem (situti tu fortasse melius nosti) probum, modestum, ac eruditum, reciperes. Ego, quamquam ipse *M. Conradum* non norim, tamen, quum audio, talem esse, qui tuam familiaritate non sit indignus, nolui hoc officii denegare. homini amico, tam enixè id à me petenti. Quare, si quis usus tibi illius, aut quoquo pacto illo opuserit, quaeso, ut illum, vel meam causam, recipias. Intellego, illum, non tam magni alicujus salarii promerendi gratiam, tecum esse velle, quam ut ipse quoq; commodius sua studia possit recolere. Quicquid igitur sine incommodo facere potes, quaeso, ut me tuis literis facias certiore. Benè vale. *Hanovia. X. Kal. Novembr. M. D. XLVI.*

PETRVS LOTICHIVS, ABBAS
Solitariensis:

Matthiae Wanckelio:

S Alutem per **CHRISTUM, DEI filium!**
Venerabilis Matthia, accepi, quæ fidem, & sedulitatem, judicium, & officia, in divinum illud *Ministerium,* quod complere studes, satis declamabant: & maximè nobis placuit adhortatio

L

tio

tio illa tua, quâ tentati, aut trepidi, segnesq; ,
 in officio retinemur. Pueri *Fridericho* bonum
 virum hospitem obtigisse, gaudeo, & gratias
 ago DEO nostro, quòd omnes pios conatûs
 fortunare dignabitur. Novarum rerum ni-
 hil habemus, quàm illa, non insolita, mala.
 Quidam *Papistarum*, in summis delitiis liberri-
 mè triumphantes, pia exercitia criminantur.
 Quidam insulsi ministri, ad nutum temporis
 (ut ipsi loquuntur) *Ministerium* formant & re-
 formant, sicut ille dixit: Was mein Jungherz
 glaubt/will ich auch glauben. Deindè, tot ma-
 la ingratitudinem nostram satis excruciant, &
 tamen licentiâ sumus deteriores, nec plagis e-
 mendamur. Igitur, ad argumentum tuum re-
 deundam mihi video, piis orandum esse, ut
 DEUS, & Pater D. N. JESU CHRISTI, qui
 charitate æternâ dilexit nos, in eodém filio suo
Ecclesiam suam repurgare, conservare, & gu-
 bernare, dignetur. *Petrus Lotichius*, Nepos, *Wite-
 bergæ*, versatur, & venerandus præceptor *D. Phi-
 lippus Melancton*, summo, & paterno affectu
 illum complectitur. Opto tuam humanitatem
 semper, & quàm felicissimè valere. Dabantur
Solitaria, VIII. Maii, Anno Salutis humanæ
 M. D. XLVIII.

P. LO-

PETRVS LOTICHIVS, ABBAS

Solitariensis :

Præstanti, & honesto viro,

WOLFGANGO KEMPFIO,

Senatori Hammelburgensi,

S. D. P.

CUm parochus meus, *Sigfridus Hettenus*, homo diligens, *Hammelburgum* iter instituisset, nolui, illum, absq; meâ ad te salutatione, abire, maximè, quòd mihi nunciatum fuerat, te in adversam valetudinem incidisse. Molestum mihi fuit (itâ me **D E U S** benè amet!) tale nuncium. Quis enim nescit, bonorum virorum interitum, qui pietate, prudentiâ, patriæq; amore, *Remp. Christianam* fovent, & amplectuntur, omnibus bonis qualemcunq; luctum adferre? Statuo siquidem, candorem, probitatem, humanitatem, si in pio, & sapiente, viro specimen de se præbuerint, facilè, in sui amorem, & desiderium, æquum hominem corripere. Ob præclaras illas virtutes, ego te amare cœpi, & libenter tecum versari, si tempus, & rerum status, itâ ferrent. Nec molestè ferre debes, sic de te sentientem. Est in me nulla simulatio. Si enim Pietatem, Sapientiam, Candorem, & alias virtutes, colere debemus, hæud obscurè apparet, hominem, apud quem

L 2

hæ

hæ commorantur, & pulchro hospitio colliguntur, colendum, & amandum esse. Valeat tua humanitas quàm feliciter! X. Junii, M. D. XLIX.

PETRUS LOTICHIUS,
Abbas Solitariensis:

Præstanti, & Clarissimo viro,

IACOBO OETHÆO, S. Theol. Doctori,
Ecclesiæ Fuldenfis Pastori: amico colendo.

S Alutem in CHRISTO, *Servatore nostro!*
Venerabilis Dector, literæ tuæ multis nominibus mihi perquàm gratæ fuerunt, primò, quòd filius tuus, adolescens legitimo thoro tibi natus, quem in omni genere officiorum *Nepoti meo, Petro Lotichio,* non defuisse, citrà simulationem aliquam, intellexi, illas mihi offerret. Deindè, non potest non grata mihi esse conjunctio illa disciplinæ, & studiorum, quæ in filio tuo, & nepote meo, pari diligentiam, fideque communi, convenit. Postremò, occasionem illam familiaritatis, & amicitiae, inter nos mutuae contrahendæ, mihi non negligendam maximè puto: Quis enim non videt hæc mala, temporis infelicitatem, studiorum jacturam, religionem deformatam, judicia doctrinæ, & morum, corrupta, &c. multò pestilentiora

tiora

tiora esse, quam ut veræ pietatis, literarumq;
cultores, de qualicunque honestate, amicitia,
mutuisq; officiis, non contendere, & gaude-
re, non debeant? Ego, pro tuis in *Nepotem* be-
neficiis, gratum me fore polliceor. Dab. *in fe-*
riis Annunciationis Mariae Virginis, matris CHRISTI,
Anno ejusdem Virginei partûs, 1548.

PETRO LOTICHIO, AB-

BATI Solitariensi:

Patrono unicè suspiciendo:

Jacobus Oethæus, SS. Theol. D.

S. D. P.

CUM *Christianus Lotichius*, Nepos tuus ex fra-
tre, adolescens bonis moribus præditus,
& liberalium artium studiosissimus, ad vos iret,
Vir Reverende, mearum partium esse putabam,
ut tibi per literas gratias agerem pro benefici-
is, quibus me affecisti, maximis. Quod enim
hoc corâm non feci, ut conveniebat, dabis pu-
dori meo, quem tûm nimis rusticum fuisse, fa-
teor. Etsi autem magnitudo meritorum tuo-
rum meritó movet, ut, me non tantùm illa non
adæquare posse, verùm ne quidem minimam
illorum partem explicare, sperem, existimabam
tamen, tibi quamcunque voluntatis meæ si-
gnificationem gratam futuram. Quæ spes ne
me fallat, etiam atque etiam rogo. Res meæ
quo in statu sint, non opus est, ut T. R. signi-

L 3

ficem,

fiem, præsertim cum *Christianus Lotichius*, cujus consuetudine humanissimè *Heydelbergæ* usus sum, omnem hanc rem T. R. aperiet. Qui etiam, si hoc in literarum curriculo progredietur, T. R., & reliquorum, expectationi cumulativissimè satisfaciet: & ejus rei jam dudum omnibus maximam spem præbuit. Sed de his satis. Ego T. R. & amare, & observare, cum summâ testificatione tuorum ergâ me benefactorum, non desistam. Vale! *Deus te Religioni, & bonis Studiis*, diu incolumem servet! *Heydelbergæ. VI. Id. Septembr. M. D. XLIX.*

PETRVS LOTICHIVS, ABBAS
Solitariensis:

Eidem Clarissimo Viro,

JACOBO OETHÆO, suo,

S. D.

VENIT ad nos hic senex, venerandus canitie, honestum *Ecclesiæ* suæ testimonium secum habens, qui, cum inspectio *Ecclesiarum* per *Illustriß. Principes Saxonie juniores* haberetur, non procul *Vinariâ* diu cum plebi suæ præfuisset, nec in omnibus satis ad regulam, ut vulgò loquuntur, respondisset, loco, & functione, motus est, tam provectæ ætatis senex, qui, si per se vivere non potuisset, publicè alendus fuerat. Et si autem ipse ejus calamitate moveor plurimum,

mum,

mum, & , si fieri posset, aliquousq; eum apud me retinerem, tamen, cum jam nullus vacet locus, cui eum præficere commodè possim, qualicumq; viatico instructum, ad te ut iret, admonui, si fortè apud vos, & tuâ commendatione adjutus, portum exilii sui invenire posset. Itaq; , non tam exulis hujus, quàm meo, nomine, à te summoperè contendo, ut, pro tuo ergà *Religionem Christianam* studio, & ergà calamitosos commiseratione, efficias, ut aliquo modo ejus miseria, & exilium, levetur. Quòd si preces meas apud te pondus habuisse intellexero, tum verò & votis meis satisfactum, & te tuum officium fecisse, etiam hic fenex prædicabit. Vale. *VI. Julii, Anno Salutis, M. D. LVI.*

PETRO LOTICHIO,
Abbate Solitariensi:

Hartmannus Beyer, Francofurtensis,
S. D.

GRatiam, & pacem, quæ ex **DEO** Patre, in **CHRISTO** **JESU**, unico *Ecclesie* suæ liberatore, defensore, & conservatore, per *Spiritum Sanctum*! Fuit apud me in proximo mercatu *Francofurtensi* viri venerandus, *M. Sigfridus, Pastor* animarum in *Ecclesia* vestra *Solitariensi*, ubi me rogabat, ut, si quæ nova acciperem, aut novos libellos viderem, *R. T. Dominationi* trans-

L 4

mit-

mitterem. Cúm a. ea, quæ *Sigfridus* desiderabat, invenire non possem, cumq; etiam hæcenus nihil novi, quod R. T. D. non antea habere existimarem, viderim, nihil mittere potui. Nunc autem, cúm hic *Ioan. Valentinus Dreyzer*, exulans propter *Evangelion CHRISTI*, ut ex *D. Philippi* testimonio videri potest, se *Petrum Lotichium, Poetam*, consanguineum tuum, vidisse diceret, & ut R. T. Dom. scriberem, plurimum me rogaret, non volui, nec potui, homini & egeno, seu exulanti, & docto, hanc petitionem denegare, præsertim, cúm, propter constantiam in veritate *Evangelii*, ab *Episcopo Augustano* sit eiectus. Rogo igitur T. R. D., ut hunc *Ioannem*, tum propter testimonia viro- rum præstantissimorum, & doctissimorum, quæ habet, tum propter pium, & honestum eius exilium, quod placidè fert, animo benigno amplectaris, eumq; porro aliis commendes. Quod huic *Ioanni* accidit, potest & mihi, & aliis fidelibus *Evangelii* ministris, nisi *DEUS* furori *Episcoporum Pontificiorum* restiterit, usuvenerit. De statu *Ecclesiæ* nostræ nihil nunc scribo, tum, quòd nihil novitatis accesserit, tum, quòd hæc T. R. D. non latere existimem *CHRISTUS*, R. T. D., & nos omnes, in constanti veritatis confessione conservet! Benè valeat R. T. D.
Frankofurti, IV. Decembr. M. D. L.

P. L. O.

P. LOTICHIO, ABBATI
Solitariensi,

Domino, & Patrono observan-
dissimo:

*Valentinus Klückhardus, Consiliarius
Fuldensis,*

S. D.

CUm præsens *Dn. Ioannes Heroldus, Basiliensis,*
Reverende D. Abbas, & patrone dignissime,
tuam amicitiam, & familiaritatem, maximè
expetat, nolui illi, ut viro, omnium historia-
rum, & scientiarum, peritissimo, hisce meis
literis deesse, minimè dubitans, quin eum, pro
singulari tuâ benevolentia, & humanitate, uti
dignus, benignè sis excepturus. Hominem e-
nim candoris, multijugæ eruditionis, & sin-
ceritatis, plenum esse senties, nec quicquam
ingrato facies. Ego vicissim, *Reverende Domine,*
quocumque modo poterò, tibi, tuisq; inservi-
am, neque ad omnia habebis paratissimum.

Vale. Ex Fulda, XIX. Septembr.

M. D. LVI.

L 5

P. LN.

PETRVS LOTICHIVS, ABBAS
Solitariensis:

Reverendo Viro,

JOHANNI RHENANO,
 Confanguineo suo.

S Alve plurimùm , per filium D E I , generis
 humani *Salvatore*m unicum, *Reverende Pastor!*
 Literæ tuæ multis modis gratissimæ mihi fue-
 runt, non solùm, quòd consanguinitatis nostræ
 conjunctionem , diu jam quasi sepultam , re-
 stituis, sed etiam , quod vitæ tuæ narrationem
 per aliquot annos pertexis. Ac sanè videor mi-
 hi imaginem hominis, verè Christiani , intue-
 ri, qui nullis hujus seculi , quantumvis maxi-
 mis, procellis fractus cursum suum intermittit.
 Ad me verò quod pertinet, te summâ benevo-
 lentiâ complector, & si quæ à me proficisci pos-
 sunt in te beneficia, de voluntate mea nihil du-
 bitabis. Clarissimum virum, *D. Doctorem Andre-*
am Hyperium, si quando per occasionē poteris,
 ex me ut plurimùm & humaniter salvere ju-
 beas, valdè te rogo. Tu quoqun , si crebrò ad
 me scribes, aut ipse aliquando venias , gratissi-
 mum mihi feceris. *Solitariae, XVI. Calend.*

Julii, Anno partæ salutis,

1556.

P. L O.

PETRO LOTICHIO,

Abbati Solitariensi:

M. Ioannes Rantstius, Northusanus,

S. D.

Venerande, & Candidissime Pater! cum hic
 Witebergæ doctus adolescens, Iodocus Oe-
 thaus, filius Doctoris Iacobi Oethæ, pastoris Ecclesiæ
 Fuldenfis, unâ mecum studiis honestis operam
 daret, inter honesta colloquia, aliquoties
 mentio facta est de felici venâ in versibus P. Lo-
 tichii Secundi. quem T. candori, & dignitati
 consanguinitatis vinculo conjunctum narra-
 vit, ac de Pietate, Eruditione, ac Virtute, tuâ,
 itidem, inter alia, multa commemoravit. Qui-
 bus omnibus excitatus, etiam ejus consilio, &
 ut me in amicitiam T. C. & D. infinuarem, &
 mea studia tibi commendarem, scripsi per-
 breve *Carmen de Allegoria Christophori*, ac, sub tui
 nominis titulo, publicum feci: cujus, apud
 præsententem tabellarium, aliquot exempla-
 ria mitto, non dubitans, tibi, non ob *Carminis*
 eruditionem, quæ nulla ipsi inest, sed, ob argu-
 menti pietatem, & eruditionem tuam, non ni-
 hil gratum fore. Quod si hoc intellexero, da-
 bitur mihi ansa majora scribendi. **DEUM O-**
 ro, Ecclesiæ suæ custodem, ut te, virum præstan-
 tem, regat, ac gubernet, & contrâ mala beni-
 gnè

gnè diu protegat! Amen! *Witeberga. X. Novembr. M. D. LVII.*

PETRVS LOTICHIVS, ABBAS
Solitariensis:

M. Johanni Ranftio:

S Alutem, per **CHRISTUM, DEI** filium, *Mediatorem* humani generis unicum, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus! *Ornatissime Ranfti!* Literas tuas, cum explicacione allegorica picturę *D. Christophori, Elegiaco Carmine* doctissimè à te edità, accepi, & legi, & aliis meis & *Collegis*, & *Diaconis*, legendas tradiidi. Placuit profectò nobis omnibus argumendi pietas, & ad Spartam, quam quisque nactus esset, ornandam, fidelis adhortatio. Erit nobis hæc *Pictura* non solùm grata, sed, quòd à te tam dextrè exsculpta sit, utilis, & necessaria. Non enim absq; lacrymis conquerimur, contemptum sanctissimi *Ministerii*, & admonitiones, tam ardentis, *D. Pauli Apostoli*, (quibus suum *Timotheum*, & *Titum*, informat, ut in statione sua durent, ne causas alienas curent, & alia, quæ *Aphorismi pastorales*, quos ad me misisti, docent) à multis negligi. Agimus igitur tibi magnas gratias, pro tuâ in animi gratitudine: & si qua nobis detur occasio tibi gratificandi, pollicemur, nos gratissimos futuros. Vale feliciter! *Ex Solitaria nostra, XX. Novembr. M. D. LVII.*

P. LO-

PETRO LOTICHIO, AB-
BATI Solitariensi,

Julius Micyllus,

S. D.

SI vales tu, tuiq; omnes, *Reverende vir*, colen-
dissime Domine *Antistes*, plurimum, & ex a-
nimo, ut & debeo, votis omnibus gratulor:
nos adhuc valemus. Etsi jam dudum cupiebam
non nihil ad te literarum dare, quibus de re-
rum nostrarum statu certior aliquo modo fie-
res, quæ quidem ita constitutæ sunt, ut indies
meliores fore speremus: tamen, neque tem-
poris ratio, nec occupationes meæ, id ipsum à
me hætenus præstari concesserunt. Proinde,
si quid ea in re neglectum à me tibi videbitur,
id ne in deteriorem partem accipias, vehemẽ-
ter oro. Cæterum, cum hinc à nobis *Sebastia-
nus* noster, causâ negotiorum suorum, disces-
surus esset, petiit, ut, si quid ejus nomine apud
te possem, id ipsum tentarem. Quod cum mi-
nimè denegare ipsi possem, partim, pro pri-
stino erga eum studio, & amore, partim verò,
pro eâ benevolentia, quâ erga omnes studio-
sos, & commendatione literarum dignos, affe-
cti esse debemus, peto à te, ut & causam ipsius
promovere, & in studiorum suorum proposi-
to peragendo, deesse ipsi non velis. Quod
qui-

quidem facile abs te imperraturum me confido, præsertim, cum propensum tuum, ac benevolum nimis, animum erga ipsum, omnesque tui studiosos, & amantes, luculenter satis hætenus perspexerim. Ac nisi de ipsius diligentia, & rerum suarum statu, mihi constaret, minimè hæc ad te perscribenda esse, existimarem. Quæ de re & ex *D. Lotichii, Nepotis tui, Viri Clarissimi, & amici mei*, literis nonnihil accepturum te, opinor. Eo in negotio si benevolum te, ut speramus, exhibueris, non solum sempiternam nominis tui gloriam, hætenus consecutam, luculenter augebis, sed & **D E O** rem gratam præstitisse te, senties. Me, meaq; studia, & omnia mea, tibi commendo. *Heydelbergæ. V I. Septembr. M. D. LII.*

PETRO LOTICHIO,

Abbati Solitariensi,

Domino, & amico observandissimo,

Johannes Fichardus, lctus,

S. D.

R Edditæ mihi sunt, per *Gerlacum*, tabellarium nostrum, literæ tuæ, humanissimæ quidem illæ, & veteris amicitia planè conservatrices, *Reverendè Domine, & Amice charissime!* pro quibus sanè *D. V.* magnas habeo, & ago gratias. Lætor etiam ex animo, *D. V.* incolumi
pro-

prosperè valitudine hæctenus esse provecctam.
 Quandoquidem verò audio, R. D. V. cogita-
 re, nos aliquando hîc, vel in *Nundinis*, vel po-
 steà, ad primam ejus commoditatem, invise-
 re, magnoperè rogo, ut dignetur nostro uti
 hospitio, amicitiaë quidem certissimo symbo-
 lo. Etenim, si quacunq; in re D. V. inservire,
 atque gratificari, potero, semper me habebit
 paratissimum. Benè valeat R. D. V., & me, ut
 solet, amet! *Francosurti, X X. Martii, Anno, M. D.
 LXVI.*

Literæ Testimoniales,

Per P. LOTICHIVM,

Abbatem,

datæ

Michaëli Beuthero.

NOS P E T R U S, divinâ bonitate *Abbas in
 Ecclesia Solitariensi*, fatemur, bonæ, & præ-
 stantis existimationis *Michaëlem Beutherum, Ca-
 rolostadtium*, quindecim mentes nobis in nostro
Cænobio, in *Adolescentibus*, quos ad bonarum li-
 terarum studia fovemus, erudiendis, prælegen-
 do dicendi artes, quæque ad has requiruntur,
 prætereà communibus nostris commodis, &
 utilitatibus, magnâ cum laude, & virtute, in-
 servisse. Postquam verò jam, pro rerum sua-
 rum suarum statu, & conditione, *Witebergam*
 discedere statuisset, petiit à nobis injuncti sibi
 offi-

officii deserendi libertatem. Nos igitur studiis nostrorum aliâ viâ consulentes, liberam illi fecimus abeundi voluntatem: omnibus bonis viris fidem, atque officia, ejus commendantes. Hæc à nobis serenâ, & sibi consciâ, tranquillâq; mente scripta esse, *Abbatia nostræ Secretario* subimpreso contestamur. *Actum X. Cal. Julias, Anno Salutis, M. D. XLIV.*

Ego *Michaël Beutherus, Carolo-stadius*, Ingenuarum artium Magister, fateor, *Reverendum D. PETRUM LOTICHUUM, Antistitē Ecclesiæ Solitariensis*, postquâ[m] ipsi menses quindecim, in *Adolescentibus*, quos ad bonarum literarum studia fovet, erudiendis, pro mei tenuitate ingenii, prælegendo dicendi artes, quæq; ad has requiruntur, inservierim, liberali mihi stipendio, antequâ[m] *Witebergam*, quod quidem rerum status, atque conditio mearum poscebat, discederem, pro meis qualibuscunq; satisfecisse officiis, atque itâ, ut non solum nihil illum amplius mihi debere dicam, verum etiam, ut me sibi, suâ in me benevolentia, ad gratificandum in aliis etiam porrò rebus, devinxerit. Atque hæc in hunc se habere modum, eaq; liberâ, & serenâ mente à me scripta esse, tum hæc ipsa manibus meis exarata scriptio, tum ad ejus finem gentilitia, ceris impressa, signa, testabuntur. *Actum X. Cal. Julias, Anno, à Nativitate JESU CHRISTI, D. & S. N., Millesimo, Quingentesimo, Quadragesimo quarto.* Alia

Alia Testimoniales,

Pro Adamo Mylio:

PETRUS LOTICHIUS, *divinâ bonitate Abbas in Ecclesia Monasterii Solitariensis*, piis lectoribus salutem per CHRISTUM, viventis DEI filium, optat. Si inter homines mortalis hujus vitæ aliquis rerum ordo, aut status, est, qui commendatione, & ut in condigna existimatione permaneat, opus habere videtur, inprimis profectò bonarum literarum cultores, qui omnia sua studia *Ecclesie CHRISTI*, miserè afflictæ, & instituendis junioribus promptâ voluntate offerunt, impendunt, & consecrant, hûc numerandi sunt, & à contemptoribus, quibus nunc mundus plenus scæter, vindicandi. Honestus & doctus *Adamus Mylius, Giffensis*, liberalium Artium *Magister*, per triennium in nostra *Ecclesia, & Schola Solitariensi* docendo & vivendo tale specimen de se præbuit, ut non tam sacris, quàm politionibus, literis & artibus satis instructus *Ecclesiis CHRISTI*, aut *Scholis*, cum utilitate præesse possit. Cùm igitur rebus suis aliquâ honestâ vocatione cõsulere constituisset, petiit à nobis liberam dimissionem: quam nos illi, ut par erat, cõcessimus: Omnes vos, propter dignitatem sanctissimi *Ministerii*, in Domino, obsecrantes, ut præsentem *Adamum* Christiano favore complecti, & commendatum habere, & aliis piis hominibus cõ-

M

men-

mendare velitis. Erit hæc vestra benevolentia DEO grata, *Adamo* frugifera, osoribus, & ingratis, ignita. Non est, quò pluribus verbis illum vobis commendare debeam, notis: *Vino vendibili suspensâ hederâ opus nonesse*. Vos feliciter valere! Scriptum *Solitaria*, sub *Annuli* nostri signo: XIII. Calend. Februar., Anno *Salutis* manifestatæ, M. D. L X V I.

PETRUS LOTICHIUS,

Abbas in Solitaria:

Clarissimo Viro,

PETRO LOTICHIO SECVNDO,

Philos. & Med. Doctori, & in Acad.

Heydelbergensi Professori:

Nepoti suo dilecto,

S. D.

SOROR tua ELISABETHA, *neptis* mea, quam tu vehementer amas, graviter ægrotat, ad eò, ut non semel videretur exspirare animam. In tali autem mœstitia nos omnes consolatur mulieris pietas, & sapientia, & ad tradendum DEO spiritum, alacritas. Parvulos, quos post se relinquit, materno affectu, quibus debet, commendat, & sapienter omnia præcogitat, ut ferreus sit, qui non moveatur, & impius, qui
tàm

tàm fidelis mulieris vota, & suspiria, non velit
 sibi habere commendata. Cæterùm tametsi
 de te fratre omnia bona sibi pollicetur, tamen
 non ausa est te ex *Heydelberga* hûc vocare, vere-
 cundè tamen operam tuam post **D E U M** im-
 plorat. Jam tuum erit, in hac necessitate, so-
 roris curam, quocunq; poteris modo, non ne-
 gligere. Precamur te semper benè valere. Ex
Solitaria, X V I. Ianuar., Anno Salutis, M. D. LX.

*Reverendo in CHRISTO Patri,
 ac Domino,*

**D. PETRO LOTICHIO, AB-
 BATI Ecclesiæ Solitariensis,**

*Domino, & Patruo suo obser-
 vandissimo:*

**PETRVS LOTICHIVS SECVN-
 dus, Ph. & Med. D., & in Acad. Hey-
 delberg. Professor:**

S. P. D.

CUm *Heydelbergâ* avocatus essem ab iis, qui-
 bus negare nihil possum, *Reverende Dn. An-
 tistes, ac Patruæ observande*, repperit me adhûc ta-
 bellarius, ad tria ab urbe milliaria, lectisq; li-
 teris, gravissimum cepi dolorem. Eo enim sum
 ergâ sororem unicam, ejusq; liberos, animo,
 ut post **D E U M Opt. Max.**, nihil illis carius esse

M 2

mihî

mihi possit. Navi jam uti cogor, aut curru; equo, propter vertiginem, commodè insidere non possum, ità tamè dabo operã, ut quamprimum, DEO volente, domum reverlus confirmatã valetudine ad vos me conferam. Nolo enim, ut soror ægra in viam se det, præsertim, cùm domi meæ familiam non aliam, ut commodè ægram tractare non possim. Benè vale, Reverende D. Patruè, & breví adventum meum expecta! Eberbachi. XXVII. April. M. D. LX.

P. LOTICHIO, ABBATI

Solitariensi, Patruo suo:

Petrus Lotichius Secundus,

S. P. D.

ADventus Nicolai Hornii nostri magnæ mihi voluptati fuit, Reverende D. Antistes, patruè observande! Jamdiu enim optabam de statu rerum vestrarum fieri certior. Quod hætenus nihil scripsi ad ea, de quibus *Hanovia* deliberationem instituimus, in causa est, quòd partim tutum non esset ea omnia literis committere, partim etiam, quòd aliorum adhuc consilia expectarem. Ego breví, DEO volente, coràm omnia exponam: decrevi enim, ubi *Wirceburgum* venero, ad vos excurrere. Authorem iam Nicolao fui, ne illic discederet, antequàm istuc venissem. Mirum enim est, quàm per-

versa

versa sit ratio docendi in omnibus ferè *Germania* Academiis. Illustrissimi nostri Principis obitum magna in *Aula* mutatio secuta est. Sed de his omnibus coràm. *DEUS Opt. Max. Dign. T.* quàm diutissimè conservet incolumem! *Heydelbergæ, XXII. Martii, M. D. L. IX.*

P. LOTICHIO, ABBATI

Solitariensi,

Patruo suo,

P. Lotichius Secundus,

S. D. P.

QUòd scripsis, quàm promiseram, scribo, Reverende D. Antistes, Patruæ observande, causa est, partim, quòd hactenùs, ex quo à vobis discessi, *Heydelbergæ* ferè semper abfui, partim etiam, quòd ii, quos consului, amplissimi, gravissimiq; viri, de tanta re accuratiùs, ac diutiùs, deliberandum censerent. Videtur autem tota de *successore* tractatio intricatior esse, & spinosior, quàm ut ità facilè explicari possit. Expectamus *Spiræ Electorem Moguntinum, Coloniensem, & Trevirenses*, qui de *Ecclesiasticis* in posterù constitutionibus deliberaturi dicuntur: ea fortassis còsultatio, ubi eventum suum fortita, & promulgata, fuerit, planiorem nobis viam ad ea, quæ volumus, aperiet. Inprimis autem necessarium est, ut *Schola* conservatione, & institutio-

M 3

ne ju-

ne juventutis, bonam apud homines famam, atque authoritatem, non solum tueamur, verum etiam muniamus contra malevolorum hominum consilia, & obtreccationes. Quae in re quantum *Christianus* frater studio, diligentia, atque assiduitate, usui patriae esse possit, non ignoro, & ipsum etiam cumulatè, & prolixè facere confido. De reliquis proximè, idq; DEO volente, brevi. Interèa *Bambergium* nostrum *D.T.* etiam atq; etiam comendo. Veretur hoc unum, ne, si se obliget, quod aliis accidit, è medio studiorum cursu revocetur. Cogitandum autem nobis est, atque etiam intendendum, ut tales aliquando homines habeamus, qui eruditione, atq; autoritate apud alios, ultra mediocres homines, aliquid possint, atq; polleant. Quod de *Bambergio*, si ita pergere poterit, futurum, planè confido, atq; etiam spondeo. Nam & amans est patriae, & in bonis literis cum laude versatus, optimisq; & modestissimis moribus abundè mihi satisfacit. Bene vale, *Reverende D. Antistes! D. Sigfrido* affini, & *Christiano*, fratri, eorumq; conjugibus, ac liberis, plurimam salutem. *Heydelbergæ,*
XIIIX. Novembr. M. D.

LIIIX.

P.L.O.

PETRO LOTICHIO, AB-

BATI Solitariensi,

P. Lotichius Secundus.

S. P. D.

CUm rediret Bambergius sine literis vestris, Reverende D. Antistes, Patruè observande, hoc uno nuncio recreabat me plurimùm, quòd affirmabat, D. T. benè valere: quod ego intelligere jam diu maximoperè desiderâram. Retulit idem mihi, D. T. Herbipolim accersitam esse. Necessariò igitur has literas mittendas esse, duxi, ut ex D. T. cognoscerem, cujus negotii causâ id mandatum accidisset. Vocor & ego Herbipolim, ab hominibus, quibus nihil denegare possum & omninò his diebus iter ingredi- ar. Vehementer igitur à D. T. peto, ut, si quid illic ex usu vestris rebus esse possum, quamprimùm significet. Dabo operam, ut D. T. cognoscat, neque voluntatem, neque efficiendi etiam facultatem, mihi defuisse. Hac de re D. T. literas expectabo. **D E U S O p t. M a x.** D. T. nobis quàm diutissimè conservet incolumem!

Heydelbergæ, in summis occupationi-

bus, Calend. Octobr. M. D.

LVII.

M 4

P. LO-

PETRO LOTICHIO,

Abbati Solitariensi:

P. Lotichius Secundus,

S. D. P.

GUm *Wormatiæ* essem, Reverende D. Antistes, *Patruæ observande*, convenit me doctissimus vir, D. Heroldus, cujus *Tabulas de successione stirpis Palatinæ*, ad te misi. Omnino æquum est, ut D. T. illum honorificè & excipiat, & remuneretur. *Tabulæ* si nondum sunt redditæ, tamen post nundinas reddentur. Alteras ad *Generosum D. Comitem Hanoviae, Philippum*, misi, unâ cum literis, ad *Erhardum Crispum* scriptis. De colloquio libenter scriberem aliquid, nisi interpellarer. Cogor enim illicò abire, à *Comite Westerbergensi* vocatus. DEUS Opt. Max. Dign. T., quàm diutissimè conservet incolumem! Benè vale! *Wormatiæ, X. Septembr. M. D. LVII.*

PETRO LOTICHIO,

Abbati:

P. Lotichius Secundus,

S. P. D.

Valdè eram occupatus, cum rediret *Wendelinus* noster, cujus rei ipse mihi testis est, Reverende Antistes, *Patruæ observande*! Brevior igitur sum in scribendo, quàm constituerã, quod &

& D. T. boni consulat, etiam atque etiam rogo. *Nicolaus Hornius* officium suum facit diligenter, meq; colit, & observat, non dubito eum D. T. satisfacturum. In *Bambergio* pecunia ista optimè collocata est. Factus est *Baccalaureus* his diebus, & egregium ingenii sui specimen dedit. *Scholam* istic efflorescere, vehementer gaudeo, cum patriæ primùm causâ, tum etiam tuâ. Novi n. sollicitudinē tuam, & in promovēda literarum studia desiderium. Meæ res mediocres sunt, ita ut facilè contentus sim. Speramus tamen, propediem futuram reformationem *Scholæ*, quæ, antè *Melanchtonis* adventum, nulla omninò futura est. DEUS OPT. MAX. D. T. quàm diutissimè nobis conservet! *Heydelberga*, IV. Junii, M. D. LVII.

PETRO LOTICHIO,
Abbati:

P. Lotichius Secundus.

S. P. D.

CUM *Fridericus* noster ad T. Dign. proficisci statuisset, etsi non ignorarem quàm gratus tibi adventus ejus futurus esset hoc tempore, Reverende Antistes, Patruè observande, tamen ei hoc à me enixè flagitanti scribendi munus, in causa præsertim honesta, denegare non potui. Cupit is nunc conjugii fœdere aliquam

M 5

sibi

sibi vitæ, fortunarumq; sociam, adungere, quod sine D. T. consilio, atque consensu, aggredi, atque tentare, minimè omnium in animum inducit. Dignus mihi semper visus est *Fridericus* benevolentia D. T., cum propter animi moderationem, tum etiam observantiam erga nos singularem. Fratris quidem *Danielis* consilium hoc est, ut sacris prius initiatus, domoq; exædificata, tale aliquando consilium capiat. Sed hæc omnia à D. T. sententia pendent. Accepi heri à *Philippo Melanchtone*, & *Cammerario*, literas, copiosè ad *Illustrissimi Principis Palatini Cancellarium*, *Minguitium*, scriptas. DEUS OPT. MAX., pater Domini & liberatoris nostri JESUS CHRISTI, D. T. quàm diutissimè nobis servet incolumem! *Solitariis*, XV. Ianuar. M. D. LVII.

P. LOTICHIO ABBATI,

Petrus Lotichius Secundus,

S. P. D.

BInas à te literas accepi his proximis diebus, *Antistes Reverende, observande Patruæ*, ex quibus animum tuum erga bonas literas, minimè quidem mihi ignotum, quasi in nummo expressum, vidi, atq; osculatus sum. Semper in ea fui sententia, sine humanitatis studiis, quibus juvenus non solùm ad mansuetiorem viæ rationem, atque modum, informatur, verùm etiam ad pietatis studium accenditur, nullam neq;

neq; *Ecclesie*, neque *Reipubl.* administrationem diuturnam, atq; felicem, esse posse. Hujus porro loci ea est conditio, ut his studiis aut contemptis, aut neglectis, consistere non possit. Nam, ut multa hinc præteram, quæ literis tutò committi non possunt, hoc tantùm dicam, multorum, eorumq; amplissimorum, virorum oculos in hoc *Collegium* esse conjectos, qui, tanquam ex altissima specula, omnes actiones, omnia consilia, atque studia, aucupantur, penitusq; cognoscunt. Vehementer igitur gavissus sum, postquã acrem illam, paternã tamen, atq; ab optimo animo profectam, admonitionẽ, intellexi, cui ut satisfiat, sensus omnes meos intendam, in eamq; unicam rem defigam. Et si enim multorum hominum acerbitas, & sinistra, seu perversa potius, opiniones interdum plus valeant, quàm aut pudor meus, aut ea moderatio, quæ à natura mihi attributa est, testatum tamen relinquam in animis hominum, me nullius rei magis fuisse studiosum, quàm bonis ordinis, atque disciplinæ, & propagationis studiorum, atque literarum. Ego *Dign. T.* omnia debeo, quæcunque in me sunt, sive ingenii, sive animi, ornamenta, & propterea nihil aliud cogito, nisi ut iis tantis, ac tot beneficiis tuis non solum non indignus fuisse videar, verùm etiam ea aliquando illustrem, atq; exornem. Sed te his satis. Mandata omnia tua
dili-

diligenter curabuntur. Quod superest, etiam
 atque etiam à D. T. peto, ut has meas literas,
 tuis adjunctas, ad *Secretarium, Principis Palatini,*
 uná cum *Melanchtonis, & Camerarii* epistolis, per
 tabellarium proprium, transmittat, ne ego
Clarissimorum virorum commendationes negle-
 xisse videar, qui ultrò omnem mihi benevo-
 lentiam suam obtulerunt. Si accederet *Genero-
 si Dn. Comitum* commendatio, quasi cumulus qui-
 dam, nihil esset rebus meis accommodatius.
 Ego, cum propter anni tempus, atq; tempe-
 states, tum etiam, propter valetudinis imbe-
 cillitatem, itineri me dare non potui. Puer,
 qui cum *Friderico* venit, uná cum fratribus, apud
 matrem *Lindeberga* moratur, quos, si itá vide-
 tur, húc accersam, ut ludum literarium fre-
 quentent: cum nulla sit amplius *pestis*, vel levis
 saltém, suspicio. *DEUS. Opt. Max. Dign. T.* nobis
 quàm diutissimè servet incolumem! *Solitariis,*
XXIII. Ianuar. M. D. LVII.

P. LOTICHIO ABBATI,

P. Lotichius Secundus. S. P. D.

E T si nondum reversus erat tabellarius,
 quem miseramus, nec conjectura ulla cõ-
 sequi possemus, quid de illo ageretur, *Reveren-
 de Antistes, Patruè observande*, tamen *Wurtzelio*
 nostro, justis de causis istúc proficiscenti, non
 potui

potui non aliquid literarum dare, quamvis nihil sanè accidisset scriptione valdè dignum. Literas meas velim diligenti alicui tabellario committi, qui eas non solum *Heydelbergam* perferat, verùm etiam responsum expectet. Occupatissimi sunt Principes his temporibus, & propterea modesto homine & prudente opus est, ne nimiã festinatione totum negotium interturbetur. Ego multis jam literis *Wirceburgum* vocatus sum. Sed in *Academia* malo esse: & in tali *Academia*, qualis jam est *Heydelberga*, nempe *Schola Christiana*. De schola nostra mihi curæ est. Ubi *Dignit. T.* literas accepero, scribam plura. *DEUS OPT. MAX.* per filium suum *JESUM CHRISTUM Dign. T.* quàm diutissimè conservet incolumem! *Solitariis, ultimo Ianuarii, M. D. XLVII.*

P. LOTICHIO ABBATI,

P. Lotichius Secundus.

S. D. P.

Postquàm in *Italiam* veni, *Reverende Dn. Antistes*, *Patruæ colendissime*, nihil priùs faciendum mihi putavi, quàm te de omni rerum mearum statu certiozem facere. Certostamen homines nancisci non potui hætenùs, fui enim occupatissimus (ut fieri solet) in rebus meis componendis, cùm *Patavii* remansissem, ibiq;

ibiq; , quod superesset hyemis , transigere cogitarem. Incidi tandem in hunc ornatissimum virum , *Adolphum à Glauburg, I. V. Doctorem* , cui has ad te perferendas dedi. Est enim vetus mihi cum ejus cognato, *Iohanne à Glauburg* , necessitudo , qui hîc mecum vivit conjunctissimè. Studiorum meorum ratio ea est , ut magnam in spem veniam , si per valetudinem licuerit, me expectationem multorum etiam superaturum esse. Alacrior etiam ad studia capeSSenda jam sum, eoq; ampliùs , quòd ea totis illis mensibus quinq; , quibus in *Germania* fui, propter continuas peregrinationes ferè , omiseram. Hac etiam de causa factum est , quòd, antè discessum meum , domum , ut constitueram, venire non potui. Timebam enim , ne, si a prior in *Alpibus* hyemis sævitia ingrueret, à literis totâ illâ hyeme abessem. *Venetias* veni *IV. Non. Novembr.* , ipso die *Natali meo*, postridie *Patavium*, ubi nunc vivo. *D. Danielis Stibari* , viri *Clarissimi* , opera nulla in re mihi defuit. Careo prætereà iis molestiis , quæ priùs à studiis me avocabant. Solus sum , soli q; mihi & rectissimè meis studiis inservio. Nunc, quod superest, totum me tibi, studia q; mea, commēdo. Triennium, si pōtero, in *Italia* ponam, & omnia malò perpeti, quàm ut ipse mihi defuisse videar. Has literas per nautas *Venetias* mitto, qui festinabant: qua de causa fit, ut *D. Sigfrido*,

frido,

frido, affini suavissimo, nihil scribam, neque *Christiano* fratri. Apud *D. Stibarum*, circa *Cal. Ianuarias*, literas habebitis, de omnibus copiosè scriptas. Intereá omnes, & singulos saluto plurimùm. Sorori carissimæ, & sororis filio, salutem dico. Benè vale, *observande D. Patruæ*, & te nobis omnibus quàm diutissimè serva incolumem! *Patavii. XI. Decembr. M. D. LIV.*

P. LOTICHIO, ABBATI
Solitariensi:

P. Lotichius Secundus.

S. P. D.

EX literis tuis, *Reverende Dn. Antistes, & Patruæ carissime*, benevolentiam ergá me tuam, animumq; verè paternum, perspexi: de quo licet dubium mihi nunquam fuerit, tamen eó magis gavifus sum, quód tam liberaliter, tam amanter, polliceris, te studiis, & commodis meis non defuturum: quod quidem itá esse, immortaliter gaudeo. Ago autem DEO, æterno Patri, & ejus filio, **JESU CHRISTO**, *Mediatori* nostro, gratias, quód te in tanta temporis atrocitate, & perturbatione, nobis conservavit, & conservat incolumem: quod ut faxit diutiús, precari non desinam. Ego, quamprimùm indè literas accepero, in *Italiam*, inprimis *Pisas*, proficiscar, quæ urbs *Ætruria* maximè

mè

mè floret bonarum artium studiis. Opto autem voluntatis ergá me tuæ perpetuitatem ut, per te sublevatus, honori aliquando patriæ, & amicis, esse possim. De rebus meis ex *Stibaris* audies. *Mare Mediterraneum* magnâ classe teneatur, nos tamen hîc tuti sumus, DEO sit laus: qui T. D. tueatur, & conservet quám diutissimè incolumem! In *Montepessulano*. X. Februar. M. D. LIII.

P. LOTICHIO, ABBATI
Solitariensi,

P. Lotichius Secundus,

S. P. D.

J Amdiu nihil ad te scripsi, *Carissime Dn. Patruè*, quia in illis locis sum, undè omnia tardissimè perferuntur, tum etiam, quia & rarò tabellarii contingunt, & plurimùm negligentes sunt, ut tantò illis vix quicquam committi possit. In nundinis *Frankofurtensibus* fasciculum literarum invenies apud *Christianum Wechelium, Typographum Parisiensem*, ex illis de omnibus rebus meis cognosces. Jam verò scias, me, DEO leus, optimè adhûc valere, & *Lutetia* mansurum esse per hanc hymem: æstatem in alio loco transigemus. Varia hîc nunciantur de tumultibus *Germania*, de quibus literas vestras copiosissimè expecto. A *Christiano* fratre nihil adhûc literarum accepi, sed *Witebergensem Scholam*

lam

lam dissipatam esse judico. Tu verò *Patrué, & Domine humanissime*, ut te in his motibus incolumem nobis conserves, valetudinem tuam diligenter cura. Matrem, & omnes alios, saluto plurimùm. *D. Sigfrido*, affini, scribere non potui. Benè vale, & me tibi commendatum habe! *Lutetia Parisiorum, XVII. Ianuar., An. M.D.LI.*

P. LOTICHIO, ABBATI

Solitariensi,

Patruo suo:

P. Lotichius Secundus,

S, D.

QUòd brevius, præter consuetudinem meam, præsertim ad *D. T.*, jam scribo, *Antistes carissime*, cum turbulentissima hæc tempora, quibus tabellarii in viam se cum literis tutò dare vix possunt: tum valetudo etiam mea facit, quâ jamdiu adversâ, cum summo periculo, usus sum, quod in causa est, ut ad scribendas literas sim pigrior. Probè tamen (laus DEO) videor mihi convaluisse, quamvis subvereri mihi intereum in mentem veniat, ne morbus, ut solet, recurrat. Vos omnes adhuc benè valere, *D. Philippus, M. Beuthero* referente, mihi *Calendis Maii* indicavit. Quòd quàm libenter audierim, dici non potest: quoniam &

N. meam

meam salutem cum tua conjunctam videam, tum etiam, quia hæ tristissimæ *Germania* ruinæ, studiorum periculosissimæ interneciones, bonos viros, & amantes patriæ, & virtutis, ita afficiunt, ut & ista morte, si liceat, subterfugere malint, & in discrimen etiam vitæ non raro incidant. De rebus meis omnibus adolescens hic præsens cum modestus, tum in primis eruditus, certiores vos reddet. Is mihi in morbo meo diligenter omnia humanitatis officia, & cumulatè etiam, præstitit. Rogo, ut eum cõmendatum habeatis, ut sentiat, pro isto beneficio meas ei literas profuisse. Velim, ut quamprimùm hinc liberer, *Antistes carissime!* nec enim vel in hac urbe in otio, absente *Melanchtone*, me esse, nec eventum obsidionis, si eò res deducatur, expectare consultum videtur. De omnibus rebus *Vdalricus* vobis significabit. Eundem de *Melanchtone* interrogabitis: quod ad brevitatem mihi est aptiùs. Consilium tuum, quid statutum habeatis, avidissimè expecto. Benè valeat T. D. in CHRISTO, qui vos omnes quàm diutissimè seruet incolumes!

Raptim *Magdeburgi*, XVII. Maii,

M. D. XLVII.

P. L. O.

PETRVS LOTICHIVS, ABBAS
in Solitaria:

Doctissimo Viro,
M. Christiano Lotichio,
 Nepoti suo.

S Alutem! Dilecte Nepos! Gratulor tibi novum honoris, artium, & pietatis, gradum, non dubium, non fictum, non emptum, sed rei veræ testimonium. Precemur DEUM nostrum, omnis sapientiæ fontem, ut iis donis, quibus te jam ornavit, in sui nominis gloriam, & Christianæ Reipubl. utilitatem, nostræq; patriæ, & familiæ ornamentum, benedicat. Scripsi *Lefflero*, ut tibi, usq; ad festum *Paschatos*, pecuniam ad usûs necessarios, numeret: quem in nundinis, proximè futuris, quemadmodum jam hætenûs tibi à se numeratam, bonâ fide sibi redditam, testatus sit, ità hanc quoq; reddendam se certum esse statuatur. Nos, ut discere, & docere cœpimus, perseveramus. Legi *libellum INTERIM*, legi *Reformationem*, nec video, quâ ratione institutum nostrum culpâri possit, cùm simus tractabiles, & ad discendum paratissimi, nec aliâ viâ hoc tempore officio nostro præesse potuerimus. Superiorum nostrorum consilia DEUS gubernet! Non ità successuræ res videntur, ut quidam minitari solēt.

N 2

Vide,

Vide, ut valetudinem tuam conserves! Datae
Solitariae, Anno humanae salutis, 1548. feriis Mathiae
Evangelistae.

PETRVS LOTICHIVS, ABBAS

Solitariensis:

M. Christiano Lotichio:

S Alutem per CHRISTUM, DEI filium,
Servatorem nostrum! Dúm nuper, septimâ
hujus Junii, unâ cum Generoso Comite, Hanoviam
proficiscerer, non erat tunc animus hîc diutiús
commorandi, quàm cum creditoribus meis,
& aliis, quibus cum mihi intercessit necessitu-
do, omnia familiariter, & quàm honestissimè,
transegissem. Quid enim rebus meis magis
conducit? quid me magis delectare potest?
quid professioni meæ magis accommodum?
quàm me domi, in parietibus meis, in pa-
tria, apud sanguine mihi conjunctissimos,
& ministerio divino, mihi nunquàm dese-
rendo, me continere, & inservire? Cæte-
rúm, inquis, quid te impedit? Scis, me curis, &
negotiis, esse confectum, & Caniculares mihi ma-
ximè infesti sunt. Accedunt alia, quæ animum
meum pusillum non minús retrahunt, quæ ex-
plicare jam tibi non opportunû videtur. Non
arbitror, te profectioem ad fratrem parare.
Quapropter, si rebus nostris domesticis octo
dies abesse poteris, volo ad me venias. Audies

CX

ex me, quæ te scire cupio. Saluta *Sigfridum*, *affinem* nostrum, & *sororem* tuam, puerperam, cum prole optatissima, prætereâ *sorores* meas, quas, ut matres, veneror. Ut pecuniam tecum afferas, necessitas docet. Scis enim, me nunquam fuisse studiosum pecuniæ, nec unquam eguisse. Vale fœliciter! *Scriptum Hanoviae*, XXII X. Junii, M. D. LIV.

Reverendo in CHRISTO Patri,
ac Domino,

DN. PETRO LOTICHIO
Solitariensis Ecclesiæ
Abbati,

Domino, ac Patruo suo colendo:

S. P. D.

CUm, absente quæstore, *Reverende Antistes* Patruæ observande, quæ T. Dign. cum Generoso Comite in lacunis piscium sunt communia, pro ut nobis videtur, nolimus curare, visum mihi est operæ precium me aliquod facturum, si T. D. significarem, piscinam propè murum Cœnobii, erupisse, & proximè quàm fieri poterit, pisces aliò transferendos. Itaq; rogamus, ut, si præsens sit quæstor, hâc nocte, quid faciendum hac in re sit, communicetis, & nos certiores faciatis. Nullum damnum factum est, nullum hac nocte patietur, *Zentgravii*, & nostrâ operâ. Res

N ;

R. D.

T. D. adhuc nostrâ curâ, Deo dante, benè habent. Benè, & fœliciter valeat T. D.! *Solitaris, XVI. Octobris, M. D. LX.*

P. LOTICHIO, ABBATI

Solitariensi,

Patruo suo:

M. Christianus Lotichius.

S Alve in CHRISTO plurimum, Reverende Antistes, Patruè carissime! Ad XI. Cal. Sextil. attulit ad nos tabellio quidem *Herbipolensis* literas, tuo nomini inscriptas; quas cum resignassemus, (in qua re veniam tuam petimus) statim tibi remittendas censuimus. Quamvis autem diuturnâ hoc negotium deliberatione indiget, tamen non iniquè nos petere abs T. H. puto, ut, cujus consilii sis, nobis significes. Res est ardua, ut, ut ferunt rumores, non tantum *Ecclesiasticus*, ceu vocant, sed etiam *Equestris*, convocatur ordo. Velim etiam unâ mittatur *Equus* tuus ille *gradarius*, quo in conficiendis negotiis domesticis difficulter carere possumus. Deus te, ad nominis sui gloriam, diu fervet incolumem! *Solitaria, XII. Cal.*

Sextil. M. D. LIV.

P. LO.

P. LOTICHIO, ABBATI

Solitariensi,

M. Christianus Lotichius,

S. P. D.

AD tuas literas, *Reverende Antistes*, *patruæ ob-*
servande, multa forent, quæ cuperem co-
 piofiffimè respondere, nisi brevitate tempo-
 ris excluderer. Respondeo autem ita, ut sen-
 tio, ex animo breviter. Distinxisti tuam *Episto-*
lam veluti in certa quædam capita, quæ, quò
 majoris sunt momenti, eò vigilantio-
 rem requirebant responfionem. Sed, ut dixi, animi
 mei, tanquam crassam quandam effigiem (ut
 ita dicam) ducam, ut & tu, quid sentiam, in-
 telligas, & ego, ne quid dissimulare videar,
 candidè aperiàm. Primùm autem, quod de
 obitu *D. Danielis Stibari* scribis, accidit ille mi-
 hi, pro eo ac debuit, graviffimus, non tantùm,
 quòd *Respublica* literaria magno ornamento
 privata est, quantum etiam, quòd *Ecclesia* ma-
 gnum fautorem amisit. Etsi enim inter eos vi-
 xit, qui nocentiffimas Chymæras potiùs refe-
 runt, quàm ut salvam *veram Religionem* esse ve-
 lint, tamen meminimus eum virum integerrim-
 um, & qui salutem *Ecclesiæ DEI* semper benè
 voluerit. Fuerunt enim semper, sunt, & erunt,
Nicodemi plurimi, qui, propter crudeliffimos
Phariseos, noctu quærunt *Dominum*, nec con-
 sentiunt in *Ecclesiæ* interitum. Accedit & hoc,

N 4

quòd

quòd *frater Secundus*, magno, & liberali *Mecæ-*
nate destitutus, studiorum suorum cursum ab-
 rumpere cogetur. Ac mihi quidem tanti viri
 casus nescio quid secum trahere videtur, cùm
 statim dimissio de imponendis exactionibus
 concilio, rebus humanis exemptus est. Scribis
 enim, *Herbipolenses* graviores meditari exactio-
 nes. Quanquam autem non ità habet sim, quin
 sciam, à subditis obedientiam *Magistratui* de-
 beri, tamen non statim tibi autor fuerim, con-
 sentias ut in quaslibet exactiones. Longè e-
 nim alia tui ab aliis *Cænobiis* ratio est. Isthic o-
 mnes proventus unum in acervum cumulan-
 tur, unum est penu, & ut *Græcè* aptius dicam,
μία ἀποθήκη: nec quicquam impenditur aut in
Evangelii Ministros, aut pios ingeniososq; *studiosos*,
 ità fit, ut, quæ aliàs abundant majoribus pro-
 ventibus, sint multò instructiora. Alia verò
 tibi fuit ratio. Nam, ut miseris *Ecclesiis* consu-
 leres, & propagares incorruptam *de filio DEI*
 doctrinam, magnis tuis sumptibus, *Ecclesias*, &
Scholas constituisti, piis ministris stipendia attri-
 buisti, & discentes liberaliter juvisti, ut tace-
 am, quanta, propter bellicas crebras isthâc ex-
 peditiones, incommoda passus sis. Nec jus
 illud penes te est à subditis tuis *Φόρος* exigere,
 quæ potestas plerisq; aliis *Cænobiis* integra est.
 Hæc ut sunt magni momenti, ità politico, &
 sincero, alicui viro commendanda fuerant, ut
 coràm

coram multis in conventu copiosè ea exaggerâset. Non enim placet mihi, rem tantam ebrius & supercilioso Equiti commendari. Hinc etiam illud sequitur, quod in literis tuis tertium est, injustè te gravari malevolorum cæumniis, qui dicunt, finem impendere Cænobii post obitum tuum. Illi enim ipsi, qui hæc spargunt, sunt λάμια, seu Stryges, totius Cænobii. Quòd enim Hutteni, & alii, alibi in decimis colligendis te impediunt, faciunt id utroq; modo, fraude, & violentiâ, de quibus Baptista ait: *Neminem concutiatis, neq; calumniemini!* De quibus, quid consilii dem, non habeo. Deploro autem interim ignaviam eorum, qui cum velint perhiberi *τοῦ ἡγουμένου* Cænobii, etiam consulti sint negligentes. Quod ad successionem attinet, viderit DEUS. Ego certè de ea nihil unquam somniavi, nec adhuc animo meo persuadere possum, ut vitam in patria finiam meam. Etenim si omnibus bonis domi frui, & tamen, non sine minimo conscientiae morfu, vivere possem, næ ego prudens miser essem, qui à veris & sempiternis, bonis excludens meipsum ad impium Baal deficerem. Sive igitur Patria meum ministerium postulabit, sive alibi Ecclesie DEI serviturus sum, te ego, æterne Pater Domini nostri JESU CHRISTI, per, & propter eundem, oro, ut me in hortulo tuo, id est, Ecclesia tua, plantulam salutarem, & vas misericordiae tuæ, facias, Ec-

eleſiam tuam, & ejus ministros, *Spiritu* tuo ſan-
cto regas, & ab horto tuo ſues arceas. Reſpon-
di breviter, ad propoſitiones tuas, *Reverende*
Antistes, quantum, præ anguſtiâ temporis, & a-
nimi mei commotione, licuit, & T. *Dign.* pluri-
mum oro, ut ea benignè legat. Meminerimus,
filium DEI *Eccleſiæ* ſuæ cuſtodem eſſe, ſuâq; ma-
nu eam defendere. Quod ſi ipſi placet, pro-
pter ingentem noſtram ergà *Evangelium* ingra-
titudinem, nos iſtas tetras *Harpyas* pati, fera-
mus æquo animo, ipſumq; ut leniat nobis pœ-
nas, oremus. DEUS T. D. diu ſervet incolu-
mem! *Witeberga*, VIII. *Calend. Septembr.* M. D. LV.

P. LOTICHIO, ABBATI
Solitarienſi,

M. Christianus Lotichius,

S. D.

Multa, de lævitia, & tyrannide *Episcoporum*, ad nos perferuntur. Quæ, etſi me valdè ſolicitum reddunt, tamen, cùm ſciam, & manſuram eſſe *Eccleſiam*, & DEUM eam, voce *Evangelii* ſui, colligere, non dubito, DEUM, æternum *Patrem* Domini noſtri JESU CHRISTI, juxtà promiſſiones ſuas, etiam vos ejus vocem incorruptè ſonantes, contrà omnes omnium furores proteſtaturum eſſe. Sicut apud *Eſaiam* promittitur cœtui docentium defenſio,
cùm

cùm dicit **D E U S**: *Posui verba mea in ore tuo, & umbrâ manûs meæ protego te, ut plantes cælo.* &c. & alibi apud eundem Prophetam: *Audi Israel, qui gestamini in utero meo, etiam in senecta gestabo vos.* Magnæ in his dictis consolationes *Ecclesiæ* proponuntur. Dicit *Propheta*, eam talem esse cœtum, quem **D E U S**, sine humanis præfidiis, solâ inenarrabili administratione, & præsentia, suâ, tueatur, & conservet. Adeò ut nihil habeat *Ecclesiæ* aliud, à quo pendeat, & cujus operitatur, quàm solum verbum, & solam *Evangelii* vocem, per quam se **D E U S** patefecit, & promissiones suas exhibuit. Quemadmodùm populum etiam *Israël*, absq; omni humano præfidio, ad mare rubrum stantem, à solo **D E I** verbo, quod ex *Moyse* audiebant, pendere oportebat. Qui populus in eodem etiam verbo non secus, ac infans in materna alvo, portabatur, tegebatur, & conservabatur. Secundò pollicetur etiam **D E U S** in his dictis, se *Ecclesiæ* suam ità complecti, ità ejus curam gerere, quemadmodùm pia aliqua, & sedula mater sollicita est pro filio, quem imbecillem adhuc in ulnis fovet, lacte, nec robusto cibo, alit. Sicut igitur *mater* ergà proprios liberos affecta est, ità vult etiam **D E U S** *Ecclesiæ* suam, & omnia ejus membra, à diabolis, & tyrannis hujus mundi oppressa, tandem in hac vita liberare, custodire, tum, in æterna justorum consuetudine,
suam

suam ipsis justitiam, sapientiam &c. communicare. Addit autem: *Etiam in senecta gestabo vos: ut Ecclesia oppressa hujus mundi ærumnis, certò statuat, DEUM sibi, etiam in extremis periculis, cùm ab impia multitudine abjecta videtur à DEO, certò adesse. Hæc, Reverende Mæcenas, ideò longiùs dixi, ut, quibus me consolationibus (non, quod itidem tu illis egeas) his periculosis temporibus sustentem, scires, & ut meam pietatem, & animum ad studium istud, tibi declararem. Cumq; dixerit summus noster Pontifex: Ego sum vitis, vos palmites: oro æternum Patrem D. N. J H E S U C H R I S T I, ut me palmitem filii sui esse velit, servet, regat, & faciat idoneum, ut aliquando tecum, & cum aliis piis, Ecclesiam suam ædificare, & in ea fructum facere, possim. Servet idem Dominus T. Dign., ad Ecclesie suæ utilitatem, & nominis sui gloriam diu incolumem! Vale fœliciter! Witeberga, XIII. Kalend. Septembr., M. D. LI.*

PETRO LOTICHIO,

Abbati Solitariensi:

M. Christianus Lotichius,

S. D.

S Alve, optime Mæcenas, & Antistes venerande, Patruæ carissime! De meis studiis nolo te quicquam dubitare, sed ea sperare, & tibi pol-

pol-

polliceri, quæ de homine ingenuo, & studioso
 in sacris literis, sunt speranda, & pollicenda.
 Sæpissimè soleo adire *D. Præceptorem Philippum*,
 & hoc, partim tuâ fretus autoritate, quæ est a-
 pud illum maxima, partim etiam *fratris* erudi-
 tione, quæ apud eundem non minimum lo-
 cum obtinet. Ille, ut solet, percontatur de *Ec-
 clesie* statu, quæ est in patria, placet illi bonâ, &
 tranquillâ adhuc pace frui eam, nec temerè ab
 hoc officio discedendum cuiquâ putat, præfer-
 tim, ubi *Articulus de Iustificatione* purè, & integrè
 traditur: nec ejus loco impia, & perversa quo-
 rundam hominum dogmata populo propo-
 nuntur. Id quod non fieri apud vos, ipse scio.
 Sed, quorsum hæc, inquires? Quoniam scie-
 bam, brevî apud vos affuturos à *Wûrtzburgo*
Visitatores, ut vocant, *Ecclesiarum* esse, qui aut ta-
 lia molirentur, aut apertâ vi cogèrent, quod ta-
 men *Pater D. N. JHESU CHRISTI* prohi-
 beat! Tu, mi *Mecænas*! quid hac in re tibi faci-
 endum sit, nosti optimè: supersedeo namque
 hac de re plura scribere. *DEUS, Pater D. N.*
JHESU CHRISTI, vobis, & *Ecclesie* suæ
 quamdiu te incolumem conservet, & custodi-
 at, atq; faxit, ut apud te sit perpetuò (ut est)
 piorum, & doctorum hominum respe-

ctus! *Vitebergæ. X. Calend. Junii,*

M. D. L.

P. L. O.

P. LOTICHIO, ABBATI
Solitariensi,

M. Christianus Lotichius:

S. D. P.

S Aluum *Ecclesie* vestræ statum, mi *Patruæ*, *Mecenas* carissime, tum vobis, tum mihi ipsi, plurimum gratulor, & ut deinceps æternus *Pater D. N. J H E S U C H R I S T I* dignetur ipsam defendere, sedulis, & ardentibus votis ab ipso petamus. Nos, inter bellorum incendia, & tumultus, versamur, nescientes, quæ hora pestem *Scholæ* inferat. Conscribitur à *Mauritio*, contra *Magdeburgenses*, exercitus, qui hîc delectu probabitur. Econtra *Magdeburgenses*, & *maritimæ Civitates*, fœdus inierunt, & junxerunt copias, devastaturi *Mauritii* regionem, & ipsum *Ducem*, è regno ejeturi. *D E U S*, inter horribiles hosce tumultus, conservet *Ecclesiam* suam, ut aliqua tamen ipsi grata supersint, nec sinat deleri lucem *Evangelii* sui, & *Scholas*: quæ sunt hospitia *Ecclesie*, clementer protegat, & defendat. Conveni hisce diebus *D. Præceptorem*, & quem status hujus *Scholæ* speraret: interrogavi, *Domine*, inquit, nō privabit eos bonis, qui ambulant in innocentia, etiamsi transeant per vallem lacrymarū, fontem fodientes: Diuturnum tamen hujus *Scholæ* statum. nisi *D E U S* singulari beneficio ipsam defendat,

dat,

dat, non fore. Quare, si quid adversi huic Scho-
læ acciderit, Ienam, ad D. Schneppium, si T. Dign. cõ-
sensus accesserit, me conferam, ibidem per
hanc hyemem *sacræ linguæ* operam daturus. Va-
laat T. H. benè, & fœliciter! *Viteberga*, XV. Kal.
Decembr. M. D. L.

Ad eundem

PETRUM LOTICHIUM,

Abbatem Ecclesiæ Solitariensis:

Patrum, & Mecænatem suum:

M. Christianus Lotichius:

D Vm, sacer Antistes, Jani tibi dona Calendis
Pectoris indicium mittere quæro mei:

Non erat argentum, nec copia divitis auri,

Quanta tui similes sed dare dona solent.

Illic Iustitiæ comites, Pietasq; Fidesq;

Musarumq; oculos Grex stetit antè meos.

Alloquor has, mittoq; tibi pro munera, Divas,

Hospitio fessas suscipe, quæso, tuo!

Incertæ, variis hinc indè tumultibus actæ,

Quò maneant, aliquem non habuère locum.

Iamq; tuo fretæ vero pietatis amore,

Se sperant gremio posse latere tuo.

Nemo DE I verbum quia plus veneratur, amatq;

Nec studio Musas fervidiore colit.

Hæc quibus officiis ingentia dona rependes?

MECÆNAS studiis sis, maneasq; meis!

P. LO.

P. LOTICHIUS, ABBAS

Solitariensis:

Humanissimo Viro,

M. CONRADO CREMERO,

S.

TUam humanitatem fortassis non latet, doctissime Cremere, quo consilio adolescentes, Solitariensi Cœnobio addictos, Marpurgum transmiserim. Nec est, quo jam ludi literarii magistros, & ductores, domi alendos, sollicitus sim. Profectus est cum *Adolescentibus*, filiis meis, *Sigfridus*, conventualis nostræ Ecclesiæ minister, cujus absentiam plebs ægrè ferre videtur, ut de me taceam, qui tot onera interim sufferre cogor, & debilis sustineo, tametsi eâ lege dimissus est, ut ad quamvis occasionem se revocari patiatur. Jam, cum pueros meos, hoc est, *Solitariensis Ecclesiæ* alumnos, & tyrones, hoc anno foris ludere voluerim, tuq; officinam hujus nostri ludi, probè paratam, & institutam, domi habeas, mittam tibi puerum, *Georgium Lotichium*, fratrem juniorem *Petri Lotichii*, qui ut tuam institutionem obviis ulnis excipiet, ita tu talem puerum instituere absq; molestia te potuisse, dices: si tamen non annuæ *febricitationes*, quas hactenus passus est, accusari debeant. Quæ tua sit sententia, cum hoc eque-

stri

tri adolescente, significato, nimirum, si in ædibus tuis versari, & vivere possit, quod, in rem illius esse, prudens scio: docet me hoc tua diligentia, & uxoris integritas: quibus salutem, & æternam pacem precor. Valete fœlicissimè!
In die Paschatos, M. D. XLIV.

P. LOTICHIO ABBATI,
Solitariensi:

Conradus Cremerus,

S.

Georgius tuus, Reverendissime, & humanissime Pater! ex fratre nepos, qui hûc, capiendi ingenii cultûs causâ, antè aliquot menses à T. R. ablegatus est, honestè hæctenùs, & piè in mea Schola literaria stipendia fecit. Eum pro dolor! die Veneris, sub vesperam, Cephaleâ, vel potiùs, ut quidam volunt, Phrenesi, morbo, Medicorum iudicio, longè periculosissimo, correptum, inexorabiles Parca heri, horâ nonâ antemeridianâ, rebus humanis exemerunt. Faxit Deus Opt. Max., qui suo nutu omnia moderatur, ut in perpetuum cœlesti fruatur gaudio, & beatitudine! Te verò adhortor, ut, pro tuâ pietate, hunc casum, quem fatum ineluctabile attulit, patienter feras. Quâ lege, ac conditione in hunc mundum, omnis generis calamitatum refertissimum, nascamur, quâq; ratio-

o

ratio-

ratione nobis rursus emigrandum sit, neminem, verè piùm, latet. Proindè, omissis argumentis consolatoris, plura scribere desino. Imponit & finem epistolæ immodicus dolor, quem ex obitu pueri pii, honesti, studiosi, & mihi omnibus in rebus morigeri, accepi. Vale in CHRISTO prosperrimè: qui T. R. diu incolumem servare dignetur! *Gelnhusa, pridie Magdalena, M. D. XLIV.*

PETRVS LOTICHIVS, ABBAS
Solitariensis:

Conrado Cremero,

Salutem! Cùm mihi Georgii Lotichii, nepotis mei, nunciaretur obitus, Ornatissime Cremere, commovebantur viscera mea, fateor. Cæterùm, in meipso causas, & rationes hujus meæ amaritudinis, & doloris, diligentius considerans, illud solùm viscera mea conturbare intellexi, quòd illius solatii, & suavitatis, quod divina bonitas nobis mortalibus, cuiq; pro suâ vocatione, largitur, ex hujus pueri obitu, mihi non vulgaris illata esset fraus, atque detractio. Scio, quid me in hac vita delectet: neq; enim non homo sum. Sentio naturales affectiones erga sanguinem meum, & quidem non vanas, sed, quæ fidem, amorem, eruditionem, plus multo certiozem, & perpetuam in hoc nepo-

te pollicebantur. Hac spe suaviter vivere licuit. Habent mali, & ingrati, suas voluntates, studia, & voluptates, at fidem, amorem eruditioni pari conjunctum, nulli, nisi boni, habere, & præstare possunt. Et hæc vera bona in nepotibus meis sperare potui. Quæ cum in Georgio sepulta sint, convertam me ad Petrum, & Christianum, fratres, qui hanc spem interim in me alent, & fovebunt, & precor nobis affuturum Spiritum cœlestis Patris, qui omnes nostros conatus, atq; studia, in sui nominis gloriam, provehat, per CHRISTUM, Salvatorem mundi! Jam officia tua, atq; uxoris tuæ, fæminæ honestissimæ, in puerum, scio, non fuisse vulgaria. Sed & hæc vel maximè omnium prædicanda sunt, quod candida, & ex paternis affectibus profecta esse, scio, & persuasus sum, hocq; interitu vestra pectora carissimo, & humanissimo, gemitu commota fuisse. Hunc vestrum candorem, & amorem ego vehementer amo. Quæ puer insumpsit, & quæ communicastis, bonâ fide remunerabuntur. Valete fœliciter!
VII. Augusti, Anno M. D. XLIV.

PETRO LOTICHIO, AB-

BATI Solitariensi,

Domino suo observandissimo:

Conradus Cremerus,

S. D.

Significatum est mihi, & communi nostro

O 2

amico

amico, *Petro Druida, M. Michaëlem Beutherũ*, cujus operâ in erudiendis pueris, tuæ fidei com̄issis, R.T. aliquãdiu usa est, relictâ *Solitariâ*, aliò se cõtulisse, & conditionē sublimiorē, & splendidiorē, suscepisse. Qua ex re quantũ dolorē ceperim, verbis exprimere non queo. Quemadmodũ n. vehementer gaudeo, tuum nomē, cũm propter eximiam pietatē, ac eruditionem non vulgarem, quæ in te præ cæteris *Abbatibus* (quorum major pars nihil minũs, quàm *Religionem*, curant) semper summa cum laude enituit, tũm autem propter exercitia liberalium artium, quibus juvenus tua fidelissimè imbuitur, & ad ecclesiasticas functiones præparatur, apud doctissimos quosq; celeberrimum esse, itã vicissim ex animo doleo, herbescentia, ut itã dicam, ingenia puerorum, quos in tuo *Monasterio* alis, docto præceptore destituta esse, & te, eam ob causam, in famæ discrimen devenire. Quare, si quid loci decrevisti relinquere meis vel precibus, vel admonitionibus, te rogo, & hortor, ut habitâ ratione nominis tui, famæ, pietatis, ac emolumentis juvenutis tuæ literariæ, alium moderatorem (*Michaëlem* enim abuisse, certò audiivi) *pedagogio* tuo, cujus institutio multum splendoris famæ tuæ addit, præficias. Ac ut hoc faciliũs, & maturiũs, fieri possit, te in scio, causam tuam quàm diligentissimè egi apud doctissimum adolescentem, *Philippum*,

Philippum

lippum, honestissimi viri, *Petri Hermsdorffii* filium, quem admonui, ut munus pædagogi, quod in *Solitariensi Cænobio* nunc fortassis vacat, susciperet. Is, meo hortatu adductus, operam suam hac in re benignissime pollicetur, ac fidem dat, si visum T. R. fuerit, se strenuè, ac fideliter, formatoris munere in tuo *Monasterio* functurum, ac non solum *Latinos*, verum etiam *Græcos* authores summa cum fide, ac diligentia, prælecturum. Quam ob rem R. T., per arctissimam nostram necessitudinem, perq; *Musas*, tuas, measq; delicias, vehementer rogo, ut, si rumor, qui de *M. Michaëlis* discessu hîc percubuit, verus est, *Philippum Hermsdorffium*, adolescentem piûm, honestum, & tam *Latine*, quàm *Græca*, linguæ perdoctum, tyronibus tuis præficias, & quæ tua de hac re sit sententia, cum hoc tabellario, me, & *Druidam*, certiolem facias. Ad extremum, ut & de privatis meis rebus aliquid addam, obnixè peto, ut duos *tauros*, alterum mihi, alterum focero meo, circa festum *Martini*, mittendum, benè saginari cures. Valeat R. T. fœlicissimè! *Gelnhusæ*, XXXI. Septemb. M. D. XLIII.

P. LOTICHIVS, ABBAS

Solitariensis:

M. Conrado Cremere:

S. D.

Sæpissimè admirari soleo, Optime Cremere,

O 3

levi-

levitatem, & perversitatem vulgi, in fingendis,
 & evulgandis, & transmittendis, mendaciis.
 Siquidem, credo, bonos viros ideó detestari,
 & abhorrere linguas mendaces, non solúm,
 quòd hominem ingenuum non deceat hæc a-
 nimi, & oris, contrarietas, sed etiam, quòd
 semper proximi sive famam, sive rem, & actio-
 nes, lædant hujusmodi nugigeruli. Fingunt,
Michaëlem meum, *Solitariam* reliquisse, quam ob
 causam? *Abbas* mutavit institutum? Homines
 docti habentur odio? Si illum ferre noluerunt,
 quem ferent? Omnia sunt perturbata, & con-
 fusa, absq; periculo aliquo nemo doctus, aut
 bonus, illic versari potest: pollicitis sunt ditissi-
 mi? Vides, in hoc unico figmento quot telis
 percussus sim. Ago autem tibi, & *Petro Drui-
 da* gratias, quòd cum illo docto adolescente,
Philippo, rebus meis consulendum putaveritis.
 Empti sunt *tauri* duo, tibi, & focero, quos, cir-
 cà festum *Martini*, mittam. Interim vale fœlici-
 ter! XXIIIX. Septembr. M. D. XLIII.

PETRO LOTICHIO,

Abbati Solitariensi:

Conradus Cremerus,

S. P. D.

CUM nemo non sciat, Reverende in CHRIS-
 TIO Pater! te, pro tuâ pietate, & huma-
 nita-

nitate singulari, in bonarum literarum cultores mirifico studio, & propensâ voluntate, esse, non dubium mihi est, quin omnes ingenuarum artium cultores, præcipuè verò ii, qui ad R. T. non obscurum testimonium suæ integritatis, & eruditionis, afferunt, apud te sint gratiosi. Hoc mihi certò cum persuadeam, ùnicè R. T. commendo hunc *Paulum Schalreuterum, Cygnaum*, excellentissimi Musici, *Schalreuteri*, filium, juvenem doctum, inprimis verò *Musices, & Poëtices*, peritum, ab omni deniq; furo, & morum improbitate, alienum, & majorem in modum rogo, ut, si fieri possit commodè, conditione aliquâ ipsi prospicias. Pubi enim tuæ nullum adhuc formatorem præfectum esse, audio. Experietur R. T. vicissim hujus *Pauli* cujus morum integritas multis viris spectata est, gratitudinem. Ego quoq; , quicquid officii in hunc hominem contuleris, altâ mente reponam, & in me collatum esse, arbitror. Valeat in CHRISTO R. T. prosperrimè! *Gelnbuse, XIV. Augusti,*
M. D. XLV.

*Reverendo Viro, Virtute, & Pietate
Præstanti,*

D. PETRO LOTICHIO,
Ecclesiæ Solitariensis Antistiti:

Domino, & Patrono suo observando:

Sigfridus Hettendus,

S. D.

M Eminisse potes, *Sanctissime Antistes*, sæpè me conquestum fuisse, quòd in hoc nostro Collegio nemo esset, qui sacrosanctæ *Hebraicæ lingua* cognitionem haberet tantam, ut alios eam, cum fructu aliquo, docere posset. Cùm, verò omninò necessaria sit sacrarum scripturarum interpreti vel saltém mediocris hujus peritia, & *M. Christianus* hoc, quo *VVitebergæ* tempore fuit, non pœnitendam operam in hac ipsa lingua discenda navaverit, communi nomine ipsum aliquoties rogavi, ut *Grammaticum* aliquem libellum, de linguæ hujus usu eruditè conscriptum, prælegere non gravari velit: ipsi verò non molestum est, morem nobis gerere, ut suâ sponte, nobis non flagitantibus, illud facturum esse videatur. Porro in primis illi probatur *Francisci Stanccarii, Mantuani*, elementalitatis institutio, quam is antè annos aliquot, non sine eruditorum hominum comprobatione, in

in

in publicum exire passus fuit. Hic libellus
 cūm *Francofurti* proster, majorem in modum
 te, *Sanctissime Antistes*, rogo, ut datis ad *Matthi-*
am Ritterum, *Concionatorem Francofordiensem*,
 literis, ejus liberi sex duntaxat exemplaria no-
 bis quamprimūm adferri curate ne dedigne-
 ris. Pecuniam in proximis nundinis bonā fi-
 de reddemus. Benè, & feliciter vale! Salutat
 te uxor mea, quæ nunc vicina est partui, & o-
 mnia prospera, ac læta, apprecatur, atq; ut hic
 novus, quem inchoamus, annus, & qui dein-
 cept sequuntur, omnes felicissimè tibi accidāt,
 ex animo (id quod & ego) optat. Ea etiam cūm
 de tuā ergā sese liberalitate non dubitet, ali-
 quod abs te xenium expectat. Pro munere,
 filio transmissio, gratias ago T. H., quā pof-
 sum, diligenter. *Anno M. D. L. VI. XXXI. De-*
cembr.

Reverendo Viro,
SIGFRIDO HETTENO,
Ecclesiæ Solitariensis

Pastori:

Affini suo suavissimo:

P. Lotichius Secundus,

S. P. D.

A Ccepi literas tuas, *VII. Novembris*, ejus-
 dem cum superioribus argumenti, plenas
 quidem illas doloris, & omninò tales, quæ pio-

O 5

rum

rum hominum mentes in maximos conjicere
 luctus possint. DEUM, æternum Patrem D.N.
 JESU CHRISTI, precor, ut mentes, & vo-
 luntates, *Principum* gubernet, & regat, ut eam
 doctrinam, quæ in veris *Ecclesiis* hæcenus so-
 nuit, pura, & incorrupta, defendant, & ad po-
 steros inviolatam, & totam, propagare stude-
 ant, nec eò nos impellant, ut *Evangelii* vocem
 cognitam (DEO sit laus, patri omnis miseri-
 cordiæ!) abnegare cogamur, & DEUM argue-
 re mendacii. Non dubito, quin in *Synodo Wirtz-
 burgensi* pii, & docti homines sententias suas de
 tanta re, graviter dicturi sint: & spero, D. An-
 tistitem nostrum, *patrum* meum carissimum,
 pietatis, & fidei suæ egregium specimen datu-
 rum, nec deerunt illi vota, & preces nostræ, &
 hujus etiam *Ecclesiæ*. Si tamen, (quod abomi-
 nor) propter veritatem, & nomen D.N. JESU
 CHRISTI, probris afficietur, à DEO qui-
 dem constantiæ suæ, & coràm hominibus cõ-
 fessionis filii sui præmium, à nobis verò, quod
 quidem in tanta nostrorum temporum injuria
 poterimus, ejus rei testimonium immortale
 consecuturus est. Quicquid tamen actum fue-
 rit, diligentissimè cum *Paulo*, aut quovis alio,
 qui imprimùm, ad me perscribas. Quod ad tu-
 as res attinet, velim, ut cautè, & piè agas. Mul-
 ta jam sunt astringenda, quæ liberiùs antea di-
 cebantur, ita tamen, ne, dùm tranquillitati
 con-

con-

consulimus, pios homines offendamus, & la-
 queos injiciamus conscientis. Nec opus est,
 ut ipse ad me venias: tam enim diligenter, si è
 re tua, & patriæ, esse videbitur, hinc agam cau-
 lam tuam, ut ipse præsens non possis melius,
 aut etiam meherculè fructuosius. Oro autem
 te, propter DEUM, & filium ejus D. N. JESUM
 CHRISTUM, ut Matrem, viduam, & alium,
 item sororem meam carissimam, tuam conju-
 gem, quotidie diligenter verbo DEI instituas,
 ne ista horribili maximorum hominum abne-
 gatione, infirma ætas, & sexus, in dubitatio-
 nem vocetur. Hoc cum & officii tui sit, & cõ-
 junctioni etiam nostræ debeas, certò mihi per-
 tuadeo. Quod autem scribis, *D. Antistitem*,
 propter nos, in tantis jam periculis versari, sa-
 nè, ut verum fatear, invitus legi. Respexit, &
 reveritus est mandatum DEI gravissimum, ra-
 tionem habuit populi, qui de DEO, de *Iustifi-*
catione, de ira DEI adversus peccatum, de pœnitentia,
 ut alia taceam, institutus prius rectè non
 fuit. Sed non dubito, quin hoc tibi impru-
 denti exciderit. *Ecclesiam* vestram, & vos om-
 nes, DEO commendo, qui dixit, *senescentem*
Ecclesiam ego portabo, ego in utero meo gestabo. Quod
 dictum non dubito, quin *M. Clessius*, si adhuc
 apud vos est, in *explicatione libri de Anima*, dili-
 genter, & eruditè tractaverit. Rogo te, si apud
 vos adhuc est, aut futurus est, ad me scribas, ut
 ei re-

ei respondeam ad *Elegiam*, quam ad me nuper misit elegantem, & copiosam. Benè vale, in CHRISTO JESU D.N., cui vos omnes, & *Ecclesiam* vestram, commendo! Raptim *Witebergæ*, VII. Novembr., Anno M. D. XLVIII.

RECTOR, DECANUS, & PROFESSORES Universitatis
Marpurgensis:

Ornatissimo Viro,

*Dn. D. PETRO LOTICHIO, Artis
Medicæ in Academia Heydelbergensi Pro-
fessori: amico nostro dilecto.*

S.

VAcatur jam apud nos, *Ornatissime Vir*, lectio Medica, propter diutinam, & pertinacem *Dn. Doctoris Dryandri* valetudinem, de cujus curatione omnes dubitamus, non credentes, humanitús fore, ut bonus vir ex ea unquam emergat.

Cúm autem *Medicina DEI Opt. Max.* donum sit præstantissimum, in hoc mortalibus concessa, ut humani generis calamitates, depellendis morbis, & tuenda corporum valetudine, aliqua ex parte mitiget: non putavimus committendum, ut lectio tam salutaris, & ad conservandam corporis sanitatem necessaria, diuti-
us

us in *Schola* nostra intermitteretur: Eoq; cœ-
pimus cogitare de *Medico* aliquo docto, exerci-
tato, & humano, quem ad nos accerferemus.

Inter quos cum tu nobis occurreris, & à qui-
buldam bonis viris ita commendatus sis, ut
spem haud parvam conceperimus, te *Schola*,
atq; adeò *Patriæ*, nostræ legendo, & curando,
prodesse posse: amore, studioq; erga *Scholam*,
Patriamq;, nostram adducti, non dubitavimus
(consentiente etiam *Illustrissimo Principe* nostro)
has ad te dare literas, plurimum rogantes, ut
profitendi munus apud nos haud gravatè suscipi-
as, & cum hoc nuncio, eo nomine à nobis ab-
legato, certò respondeas, quibus conditioni-
bus apud nos admitti velis.

Honesta tui habebitur ratio, in loco, nostro
quidē iudicio, non contemnendo, ubi precio,
satis tolerabili, vivere, &, præter salarium le-
ctionis, non ita pœnitendum fructum ex pra-
xei capere poteris.

Quam mentem, & voluntatem nostram te
latere nolimus, rogantes, vicissim tuam nobis
liberè aperias. Vale longum: ex *Academia*

nostra: XXVIII. Septembr.

Anno, LX.

Reve-

Reverendissimo Viro,
D. PETRO LOTICHIO,
 Abbati Monasterii Solita-
 riensis:

Carolus Hugelius,
 S. P. D.

Miraberis fortasse, *Vir Reverendissime*, cur literas nunc ad te ego dederim, qui neq; ullâ tibi familiaritate conjunctus, nec nomine ipso sum cognitus. Faterer, mirâdum hoc esse, nisi illud magis mirum futurum fuisset, si virtus tua insignis, & spectatum Christianæ Pietatis studium, & religio, non me jampridem in amorem tui impulissent. Diu enim est, quòd ego & amore tuæ famlæ, & desiderio tuarum clarissimarum virtutum incensus, toto tibi animo fui deditus, *Tuamq;* Reverentiam omnibus meis officiis colendam mihi proposui. Sed hanc meam voluntatem quò minus tibi adhuc declarârim, id causæ fuit, quòd sperans aliquando cum tuo ex fratre nepote, *D. Petro Lotichio Secundo*, congregari tecum, & coràm tibi animum meum patefacere, me ad id tempus reservabam, quo præsens totum me in potestatem tuam tradere possem. Hoc cum tristissimâ morte Agnati tui ereptum mihi sit, statui, quod

quod superest, non amplius differendas has literas. Atque utinam occasionem haberem magis hilarem! quia tamen res ita ferunt, voluntati divinæ acquiescam. Ego gravi dolore, quem ex tristissimo hoc funere percepi, impulsus, pauca quædam *Carmina*, *Epicedii* loco, effudi veriùs, quàm scripsi, & sub auspicio nominis tui edi publicè curavi. Et spero, te facilè, pro tuâ prudentiâ, veniam daturum & ætati, quæ in me tenera est, & dolori, quo nihil graviùs accidere mihi potuit, neque quod minùs ferre possent sensûs animi mei. Nam, cùm antè triennium, quo tempore colloquium in *Urbe Vangionum*, celebrabatur, cum pro patruo meo, *Philippo Melanchtone*, ex *Schola Wirtembergensi* reversus essem, tuumq; illum *Agnatum P. Lotichium*, *Heydelbergæ* summâ autoritate florentem, & in celebri loco constitutum, invenissem, statim eum candorem præ se tulit, eam familiaritatem mihi exhibuit, ea officia in me contulit, quæ neq; speravi, neq; prædicare satis possum. Sæpè enim me, ipsius congressûs cupidissimum, honorificè, & lautè accepit: sæpè animum meum erudito, & pleno gravitatis sermone retinuit: sæpè maximis de rebus querentem, & hæsitantè, omni prorsûs scrupulo, & dubitatione liberavit. Quæ quoties in mentem revoco (revoco a. sæpissimè) non possum non magno tanti viri desiderio affici, & me à consuetudine, cujus suavitatem vix primùm
quasi

quasi gustare cœperam, tam citò dirimì, animo turbato molestius ferre. Eum ergò amorem, quem ergâ defunctũ habuì, in Te nunc, & Christianum fratrem, tanquam proximos, derivare cupio, & T. R. reverenter oro, ut hoc meum qualecunque officium benigno animo suscipiat, & me aliquo saltèm favore prosequi non dedignetur. Vale! Heydelbergæ. XVII. Calend. Ianuar. M. D. LX.

Ad eundem

Reverendissimum Virum,
P. LOTICH IUM, ABBATEM
Ecclesiæ Monasterii Solita-
rientis:

Super præmaturò

Clarissimi Viri,

P. LOTICHII SECUNDI, Medici,
& Poëtæ Celeberrimi, &c.

O B I T U :

Caroli Hugelii

Elegia :

H *Uc ades, intentant Vati mala sydera mortem,*
Hûc ades, ô Medicæ Phœbe repertor opis!
Si potis es lenire malum, vel si quibus unquam
Caussa sub extremâ morte salutis eras!

Nunc

Nunc propera, nunc adfer opem, te nulla pigebit

Cura, nec optatas adplicuisse manus!

Per decus immortale, tua per candida frontis

Lumina, quæ mundus vix capit, adfer opem!

Profuerit, sacros vati coluisse recessus,

Corporaq; è mediis eripuisse rogis:

Sancte veni, solitam reditum nec differ in horam,

Currus in occiduas vix tuus iuit aquas!

Flecte viam, tecumq; feras, quicumq; liquores

Possunt fatales vi prohibere minas!

Pelle graves morbos, & quicquid triste timemus,

Iactent aërii per freta summa Noti.

Eja age, Phœbe, redi! jam corpore deficit ager,

Iam vires abeunt, Eja age, Phœbe redi!

Sed moritur, jam vita fugit: tu, qui regis astra,

Qui pia cœlesti lumine corda rigas:

Discedenti animæ, tibi quæ constanter adhaesit,

Pande serenati recta beata poli!

Respice, grassanti quæ mens exhausta dolore

Edidit in mœsto verba suprema toro:

Fata vocant, lux alma vale, mihi meta dolorum

Vltima, quod toro pectore lator, adest.

Regia syderei me me vocat aurea cœli:

Dulcis amicorum jam mihi turba vale!

Et si gratus eram, meritis hoc addite vestris,

Gaudeat ut digno funus honore meum.

At tu, summe parens, qui mortis jura gubernas,

Vnica qui vita lux & origo mea es:

P

Da

unc

Da, precor, ut liceat, quæ per superum æthera fulget,
 Tecum perpetuo tempore luce frui!
 Efficiar cœli novus incolæ, si mea cœlum
 Respexit pietas, si mea justa fides.
 Sic intentâ DEO mens, jam moritura, vocabat
 Voce Redemptorem deficiente suum.
 Donec mors animam placidè subduxit, & artûs
 Irruit extremo plena sopore quies.
 Ergo, velut culto flos intemeratus in horto,
 Deficiunt ævi fila, Secunde, tui.
 Ter decies sacras & bis prostratus ad aras
 Solvit natali febris anhela die.
 Febris, quæ miseri spatium tibi finiit ævi,
 Nox ubi ab Hesperis septima venit aquis.
 Iamq̄ jaces, tecumq̄ jacet, laudabile quicquid
 Inclyta Pegasei numina fontis habent.
 Nec tibi curæ gravis potuit, neq̄ magnus Apollo
 Irrita venturæ reddere tela necis.
 Axe sub Arctôo dùm te fera bella morantur,
 Saucius adverso factus ab hoste, redis.
 Cum Rhodani trepidam submerferat unda carinam,
 Nil nocuit sævi fluminis unda tibi.
 Triste etiam dubio sumpsisti errore venenum,
 Sed medicû Phœbus te revocavit ope.
 Sæpè minabantur tristem tibi fata ruinam,
 Sæpè sed adverso turbine liber eras.
 Nec jam prima novi potuerunt semina morbi
 Pœoniâ tolli, sicut & antè, manu.

Nes

Nec te servavit justæ sapientia mentis,
 Clara nec ingenii tot monumenta tui:
 Quæ superant, quicquid gelidam vel ad usq̃ Pyrenem
 Aoniæ culti protulit aula scholæ.
 Eridanum testor, qui letus in aëre crescens
 Florida per Veneti labitur arva soli.
 Quiq̃ tot insignes populos, tot clara virorum
 Oppida cœruleis flexibus ambit Arar.
 Quò decus? heu! quò rarus honos? quò tanta venustas?
 Quò nitor ille abiit, culte Poëta, tuus?
 Tecum delicia, tecum Charitesq̃, Venusq̃
 Et jocus, & cultus, mundiciesq̃ jacent.
 Omnia, quæ studium tibi, quæ natura, DEUSq̃
 Contulit, è medio tam brevis hora tulit.
 O vos Pierides, tanto quæ carmina vati
 Dictâstis dulci dulcia melle magis:
 Mecum, dùm propriâ tellus absconditur umbrâ,
 Dicite lugubri carmina mœsta sono!
 Flete piæ, mites certatim, flete puella,
 Et socium luctûs me quoq̃ habere pii.
 Si lacrymæ desint, vobis si densus & imber,
 Ipse quidem lacrymæ, densus & imber ero.
 Me lugente, Nicer crescet spumantibus undis,
 Dùm mihi materiam suggeret ipse dolor.
 Vestra sed & miseris jam fletibus ora redundant,
 Et meritò: Clariæ nam jacet artis honor.
 Sape, per oppsitos hic cautâ mente labores,
 Ad sacra Parnassi culmina fecit iter.
 Sape Medusæo dulces ex fonte liquores,
 Fluminis & doctas hausit avarus opes!

Illi ubi victurum donastis carmen, & omnes
 Delicias sanctæ contribuistis aquæ:
 Ut variis Superum Germania dotibus aucta
 Tollat honorando vate superba caput.
 Vate, coroniferâ cui cinxit tempora fronde
 Nobilis, intonso, Laurus, amata Deo.
 Quæq; triumphales ornabat regia currus
 Purpura, magnificas auxit honoris opes.
 Hospitium doctis ubi præbet dulce Camanis
 Felsina, Thespiadum semper amica patri.
 Et tam dulce decus, quod certè funeris expers
 Tutius à tantis debuit esse malis:
 In medio cursu nigri Iovis invida conjux
 Obruit, & rapidas injicit atra manus.
 Hei mihi! quid teneris vitem crescentibus uvis,
 Quid, vix nata, manu carpere poma juvat?
 An, quia pallentes detrudis cunctâ sub umbras,
 Te credis stygio munera a ferre Duci?
 Sed spes vana tua est: hic vitam puriter egit,
 Et nihil in toto pectore fraudis erat.
 Parce, age! non Stygis est, manes retinere beatos,
 Sunt quibus Elysia tecta parata domus:
 Et sedes æterna Iovis: quam candidus omni
 Tempore purpureo lumine vestit Amor.
 Hinc quoq; , post obitum, tam nobilis umbra Poëta
 Inter honoratos excipietur avos.
 Hic, ubi Callirhœe, caput exornata coronis,
 Antiquas recolit leta per arva faces:

ipfa-

Ipsaq₃, odorifera persusa liquoribus unda,
 Blanditur domino Claudia docta suo.
 Dum loquor, eternis qui cælum legibus ambit
 Phœbus, ab Eôo provocat axe diem.
 Phœbe Pater, subitum terris ostende dolorem,
 Oceani lacrymis crescat & unda tuis!
 Gratus ut herbosi populus propè littora Nicri
 Vrat odorato dona Sabaa rogo.
 Sentiat & patriæ nomen cecidisse beatum,
 Quà vagus in medios Cynthius exit agros.
 Quàq₃ Medusæ secessibus æmula ripæ
 Educat humentes Acidis unda rosas.
 Nam soror, & frater, & avito sanguine juncti,
 Extincto cineri dona suprema dabunt:
 Marmora quò viridi decorentur cœrula myrto,
 Flebitis & tyrio floreat urna croco.
 Sed benè habet! tristi redimita Thalia cupresso
 Attulit Aônii lumina prima chori.
 Omnis adest ætas, & tristi plena dolore
 Venit in exequias longa caterva piæ.
 Tempus adest: Iam tu, Musis operata, juvenus
 Ad tumulum mecum flebile defer onus.
 Fallor? an insolitos Nicer hoc in funere luctus
 Vidit, & erecto flumine tristis ait:
 Hei mihi! cur dulces tenui sub fronde Napææ
 Arguto querul os promitis ore sonos?
 Naiades, tanto quem vos defletis amore,
 Ut redeat celsis ic̄ta querela jugis?

Anne, DEO sacras quæ jam ducuntur ad aedes,
 Ultima sunt magni funera Lotichii?
 Quid caput hoc toties fors impia deprimis? heu heu!
 Conficis assiduo quid mea fata malo?
 Tertia venit hyems, meminit, cum sancta Micylli
 Spe citius lacrymas ossa bibere meas.
 Et jam, Pieria longè præstantior arte,
 Littora destituens nostra, Secundus obit?
 Ah desiderium! ah gemitus! quos ipse reliquit,
 Delicie, & tituli jam periëre mei.
 Cùm fortuna meis tantum decus attulit oris,
 Sponte suâ dulces protulit Hybla favos.
 Terraq; purpureos vicina per arva colores
 Edidit, & foliis lilia cana suis.
 Tunc ego regnabam laudata per arva, nec ullum
 Flumen in obliquo notius orbe fuit.
 At jam, me miserum, divini casus oloris
 Turbat, & ornatus concidit ille meus.
 Bruma riget, Boreasq; fremit, stat densior aër,
 Et geli das medio fundit ab orbe nives.
 Tristantur sylva, tristantur mollia prata,
 Arbor & umbrosas exuit alta comas.
 Grata coronatis & desunt murmura rivis;
 Nascentemq; diem nulla salut at avis.
 Sola graves iterat dulcis Philomela querelas,
 Pendula quæ liquidas myrtus obumbrat aquas.
 Sola necem queritur, reliquis dolor improbus obstat,
 Nec sinit, ut sueto guttura more sonent.

Signa

Signa tamen luctus edunt, cum dulcia vatis
 Conspiciunt altâ carmina nocte premi:
 Carmina, præclaras quæ possent ire per aures,
 Tutâq; Pierii docta per ora gregis.
 Ergo meas donec per saxa sonora volutans
 Excipiet lato gurgite Rhenus aquas:
 Nulla dies unquam luctus mihi finiet egros,
 Semper erit lacrymis turbida lymphâ meis.
 Hæc, & plura Nicer: Sed jam bona verba sacerdos,
 Dùm sacra sub tumulo condimus ossa, refert.
 Quod vates requiem ducat, quod dulciter umbra
 Dormiat, & cineri sit levis iste sopor:
 Quodq; Deus, gelidi quæ jam capit urna sepulcri,
 Exuviis iterum vestiet ossa suis.
 Adscribetq; choro Superum, quæ corda piorum
 Sanctus inexhausto Flatus amore replet.
 Nam, quicumq; DEUM colit, & se munere vitæ
 Iustificâ gratis credit habere fide:
 Ille jugum mortis sperans, cœlestibus adstat
 Conciliis, summo perfruiturq; bono.
 Hinc spes firma piis oritur, quod splendida nostri
 Vatis in æthereo gaudeat umbra throno:
 Extollatq; caput sanctum, cui gloria Phœbi
 Cedit, & extremo quæ micat orbe soror.
 Salve anima illustris! pulcri quam regia cœli
 Iam capit, & dulci necesse are CHRISTUS alit.
 Quas, precor, inferias, cineri quæ dona rependam?
 Quæ solvam meritis præmia digna tuis?

Grande voco meritum, mihi quòd stetit usq; benigni
 Pectoris, atq; animi janua aperta tui.
 Grande voco meritum, quòd me per inhospita saxa
 Duxisti in Clarii culta vireta Dei.
 Has molles violas, (utinam tibi plura liceret!)
 Accipe pro tantis præmia muneribus.
 Accipe, nam precium nequeo dare majus adempto,
 Accipe, sed lacrymis ferta rigata meis.
 Nec lacrymas, nec sperne rosas, cultissime Vates,
 Inq; DEI capias ocia leta siuu!
 Tu quoq; nate DEI, nostri qui victus amore,
 Mortis fregisti vincula morte tuâ!
 Da, precor, ut misero superent quæ tempora mundo
 Omnia mandatis sint operata tuis.
 Sterne viam nobis, quæ recto tramite planum
 Ad sacra cœlituum gaudia monstret iter.
 Perq; procellosa metuenda pericula Syrtis
 Navita fluctisonas, te duce, tranet aquas.
 Donec conspicuo venturus ab æthere Iudex
 Perpetuâ tutos in statione loces.
 Et radiant jam signa polo manifesta sereno:
 Auguror Adventum non procul esse tuum.



Viro

*Viro admodum Reverendo &
Doctissimo,*

D. NICOLAO LOTICHIO,
Solitariensi, Theologo præstan-
tissimo,

&

Naheimensis in VVetteravia Ecclesie
Antistiti dignissimo, vigilan-
tissimo :

Janus Henricus Scrôterus de Gü-
strow, Megapolitanus, Eques, &
P. L. Cæsareus :

AD superum pietas, NICOLAIE ô optime,
cælum

Cessit, in hoc stupido rara ferina solo.

Scilicet innumeris hinc indè exposita periclis,

Non potuit nostris ampliùs esse locis.

Quod si fors quædam præsentì in turbine rerũ

Nostrarum nostro mansit in orbe super :

Illæ equidem nullis unquam delenda diebus

Mansit in ingenio, LOTICHIANE, tuo.

Tàm tu nempè tuos sine crimine transigis an-

Tàm tu inculpatos vivis in orbe dies : nos,

Tàm quoq; NAUHEMIA Christi devotus in

Æ D E

PRÆCO doces summi nomina sancta DEI :

P 5

Tàm

Tàm simul Aõnidum ferves ardore dearum :
 Tàm placido Clarium respicis ore chorum.
 O fido Christi res hæc, NICOLAIE, ministro
 Non indigna, Atavis æmula tota tuis!
 Euge meis etiam, LOTICHI clare, Camænis
 Rite proba studium cum pietate tuum.
 Pro solitâq; tuæ mentis bonitate Scrõteri
 Provehe propositam, qua potes arte, viam.
 Sic eris in terris felix: & in Ætheris alta
 Arce immortalem te Pietas faciet.

Virg Iuveni Ornatissimo, Præstan-
tissimo,

D. IOANNI PETRO LOTICHI,
VVetteravo,

Non minùs propriâ, quàm Patris, Avi,
 & Patru magni, Virtute & Eruditione
 conspicuo,

Marpurgi Cattorum, studiorum causâ,
feliciter commoranti:

Janus Henricus Scrõterus de Gü-
 strow, P. L. Cæsareus:

Qui vixet in foliis, venit à radicibus hu-
 mor,
 Et Patrum in natos nobile semen abit.

Hinc

Hinc tu Phœbæio, Lotieni docte, co-
thurno,

Hinc fundis Clario carmina digna choro.
Scilicet à PATRUO, PETRE ô Petre optime,
MAGNO

Hoc: hoc à claro es semen adeptus AVO.
Maeste animi Juvenis! Tandem fit surculus
arbor:

Et tu mox PATRUM, mox superabis
AVUM.

*Marpurgi. M. DC. XIV.
III. Calend. Iulii.*



Cata-

Catalogus Autorum:

*Quorum in hisce P. Lotichii, Abbatis Solita-
riensis, Opusculis, praesertim Epistolarum libello,
peragitur mentio:*

- Abrahamus Bucholcerus.
Academia Marpurgensis.
Adamus Mylius.
Adolarius ab Ottera.
Andreas Hyperius.
Balthasar Strubius.
Bernhardus Mellemannus.
Carolus Hugelius.
Caspar Cunradus.
Caspar Rudolphi.
Christianus Happo.
Christianus Lotichius.
Conradus Clessius.
Conradus Cremerus.
Conradus Episcopus Herbipolensis.
Cyriacus Weyfs.
Erhardus Crispus.
Eucharis Rôslinus.
Evvaldus Creutznavver.
Georgius à Boyneburg.

Georg.

Georg. Faber.
 Georg. Fabricius Sol.
 Georg. Lotichius.
 Hartmannus Beyer.
 Hartman. Gotfrid.
 Henricus Ham.
 Jacobus Micyllus.
 Jacob. Oethætus.
 Joannes Draconites.
 Joan. Fichardus.
 Joan. Gassius.
 Joan. Hagius.
 Joan. Henricus Schröterus.
 Joan. Lotichius.
 Joan. Musculus Solitariensis.
 Joan. Petrus Lotichius.
 Joan. Ranftius.
 Joan. Rhenanus.
 Joan. Salicetus.
 Joan. Schavvermannus.
 Joan. Urseler.
 Julius Micyllus.
 Lampertus Rube.
 Laurent. Voltzius.

Ma-

Mathias Limpergius.
 Mathias Wanckelius.
 Melchior Adamus.
 Melchior Klingen.
 Michael Beutherus.
 Nicolaus Asclepius.
 Nicol. Daniel Schönbusch.
 Nicol. Hornius.
 Nicol. Lotichius, Solitariensis.
 Nicol. Lotichius, Steinaviensis.
 Paulus Eberus.
 Pedionæus Rhetus.
 Petrus Lotichius Abbas.
 Petrus Lotichius Secundus.
 Philippus Abbas Fuldenfis.
 Philip. Enneobolus
 Philip. Melancton.
 Reinhardus Comes Hanovix.
 Sebastianus Bambergius.
 Sebast. Paulinus.
 Sigfridus Hertenus.
 Simo Sthenius.
 Sixtus Kolbenschladius.
 Theobald. Thamerus.

Theo-

Theodor. Hesperger.
Valentinus Collobius.
Valentin. Gerlacus.
Valentin. Glückhardus.
Wendelinus Idman.
Wolfgangus Henseler.
Wolfgangus Kempfius.

F I N I S.



Errata sic emendentur:

Lege pag. 2. lit. B. lin. 9. HERBIPOLENSIS. p. 5. l. 22. DO-
CTRINARUM. p. 8. l. 13. ADOLESCENTES. p. 10. l. 7. Loma-
censis. p. 13. l. 20. Cynthius. p. 14. l. 4. gravis. p. 15. l. 8. Quan-
tumvis. p. 29. l. SIGEFRIDUS. p. 31. l. 6. &c. p. 32. l. 5. liberali-
tate. p. 36. l. 6. requirente. p. 37. l. 10. proloquatur. p. 40. l. 11.
Theologia. p. 51. l. 8. representata. p. 52. l. 15. reddidit. p. 56. l.
21. EVANGELII. p. 62. l. 22. Interimistica. p. 66. l. 2. obsequen-
tem. ibid. l. Archivo. p. 76. l. 16. interitum. p. 78. l. 14. crimi-
nari. p. 79. l. 19. sustinent. p. 85. l. nulla. p. 91. l. ibi. p. 93. l. 22.
conjungere. p. 97. l. 12. converto. p. 99. l. 9. Hesiodus. p. 100.
l. 5. Domine. ibid. l. 12. gratius. p. 101. l. 23. expetenda. p. 103.
l. 8. verbis. p. 105. l. 24. pius. p. 109. l. 14. Effæti. p. 111. l. 5. Do-
mini. p. 113. l. 28. prater. p. 114. l. 7. immutabilia. p. 116. l. 18.
bonis. p. 117. l. 18. recusare. ibid. l. 19. aliundé. ib. l. 24. ordini.
p. 127. l. 15. prater eà. p. 127. l. 25. ferre. p. 130. l. 6. nutu. l. ult.
mora. p. 132. l. 14. judico. p. 137. l. 17. incantatum. p. 138. l. 8.
pastori. p. 153. l. 20. meq̄. p. 156. l. 25. in nos. p. 162. l. 6. Valet.
p. 163. l. 13. Solitariensis. p. 171. l. 22. boni. p. 174. l. 17. asperi-
or. p. 176. l. 18. tutó. l. 23. laus. p. 181. l. 15. adde: M. Christia-
nus Lotichius. p. 184. l. 8. hebes. p. 189. l. 16. è. p. 191. l. 5. vale-
at. p. 192. l. 8. jam ob ludi. &c.

0.
1.
2.
i-
1.
l.
2-
i-
2.
0.
3.
0-
8.
si.
lt.
8.
e.
i-
4-
0.

Theat. cath. B. 746

